Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

~~44-44. II. 26~~
Z-4-C-14

1

44 44
2 2
51 53

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
XI
3 C
22

Donauit hunc librum R.mo dno dno f. Armellino . R.e Camerario R.p Hieronimus balbus epus . Curcensis die primo Junij 1526.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# Hieronymi Balbi Epiſcopi Gurcenſis ad Clementem.VII.Pont. Max. de Ciuili & Bellica Fortitudine liber, ex Myſteriis Poetæ Vergilii nunc primum depromptus.cui additus eſt alter continens Turcarum originem, mores, Imperium,aliaq; præclara ſcitu, cognituq; digniſſima.

6 C 43

ROMA

713. c. 22

HIERONY
MI B I LDO
B I

# HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX. DE FORTITVDINE LIBER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVanquam iſto quoq; nomine, uniuerſum prope terarum orbem CLEMENS VII. PONT. MAX. in tui ad/mirationem conuertas, quod procul ab inani gloria, uentoſaq; oſtentatione, ſolius cõſcientiæ teſtimonio cõtentus, non quid alii laudent, ſed quid laude dignum ſit, intuearis, omneq; Prudentiæ, Iuſtitiæ, Fortitu/dinis, ac Temperantiæ munus, non ad aures popula/res, ſed ad dei cultum aſſidue referas, nihil tamen Pon tifici ſummo, eidemq; innocentiſſimo, aut maius, aut antiquius eſſe debet, q̃ rerum a ſe geſtarum, ac ſuæ uir tutis gloriam, in omnem memoriam diffundere. Nam ſicut is eſt accuſandus, qui totus ex fortuna pendet, quæ & inſtabilis eſt, & fallax, ita qui uerã laudem optimis clariſſimiſq; actionibus debitam negligit, aut contem/nit, ſe hominem eſſe propemodum obliuiſcitur. Quid enim magis eſt hominis, quam omni ſtudio ſequi, amplexariq; uirtutem? At laudem nihil aliud eſſe dicimus, q̃ eam ſignificationem, qua uirtutis am plitudo magnitudoq; demonſtratur. Nec enim laus ex his rebus eſt quæréda, in quibus æque boni atq; mali ex

ceſſunt,ſed ad gloriam ſola uirtute contendendũ, quæ ita bonorũ eſt propria,ut nihil cum malis cõmune habeat,nec ulla uera,ſolidaue poteſt eſſe gloria prætereã quæ a uirtute proficiſcitur. Idq; priſcos ſenſiſſe Romanos,ſacræ apud illos ædes indicabant,quas cõiunctiſſimas conſtituerunt uirtutis & honoris. Ideo non ſatis prudens exiſtimãdus eſt is,qui bonis actionibus delectatus, eas patitur in obſcuro deliteſcere,ut quaſi abſcõdens talentum,alios nolit ( quod inuidorum propriũ eſt ) ſui imitatores habere. Quod ſi in hac uitæ imbecillitate nihil bonũ homini ducimus præter id ſolũ,quod cũ coeleſti bono ſimilitudinẽ habeat, qui humanã inter uiuos gloriã neglexerit,quã poſt mortẽ ſit curaturus,non uideo. Nã ſi mens hominis quicquid agit,quicquid meditatur,debet ad diuinæ mentis ſpeciẽ,quam Ideã Plato uocat,referre,omneq; illud & uelle & cupere quod diuinarũ rerũ repræſentet imaginẽ,certe ſi gloriã illam coeli æternã concupiſcimus,quæ eſt diuini ſplendoris irradiatio,danda nimirũ opera eſt, ut ne hanc quidẽ humanam contempſiſſe uideamur quæ beneactæ uitæ eſt uel præmiũ,uel teſtimoniũ. Magnum quippe uidetur uirtutis adipiſcendæ calcar uehementior gloriæ cupiditas, quæ una cæteras omneis cupiditates extinguit,non .n. poteſt quicq̃ humile,aut ſordidũ appetere qui ſe norit in omnium ore,ac celebritate uerſatum iri. At qui honeſtam gloriam minus adamarit,honeſte quoq; factorũ uidetur eſſe contemptor,ob eamq; rem nec dignus qui in magnis uiris habeatur. Recte igitur Iſocrates,Nicoclem regem hortatur,ut cũ ei corpus contigerit mortale,ani-

mus autem immortalis, omni ſtudio, curaq; nitatur ut animi memoriã relinquat immortalem. Nec ullus eſt in quo aliquis modo uel induſtriæ uel diſciplinæ ſplẽdor eniteat, qui non quaſi natura duce rapiatur ad gloriam, adeo ut etiam nobiliores artifices ſuis operibus quo memoriã ꝓducerẽt, inſcribere ſua nomina magni habuerint hinc illa elogia, Apelles pingebat, Praxiteles faciebat. At Phidias in eburneo Mineruæ ſimulacro quod eximia ſpecie perfecerat, cum lege patria ſuum nomen prohiberetur inſcribere, effigiẽ ſuam in eius clypeo ita arte concluſit, ut ſine totius operis demolitione, diuelli non poſſet. Fortiſſimi uiri in ſacris certaminibus ſummo labore, ac etiã uitæ periculo ſolam uocẽ præconis & coronæ teſtimonium petebant. Philoſophi uero in iis ipſis libris quos ſcribunt de contemnenda gloria, ſua nomina inſcribunt, ut etiam de ipſo gloriæ contemptu glorientur. Hæc eſt debita uirtuti merces, hæc eſt quæ breuiſſima uitæ curricula æternitatis memoria compenſat. hanc ſolam exigebat maximus ille imperator inquiens.

Optimus quiſq; quam ſit cupidus gloriæ.

Mihi magna ſatis, ſat uera, ſuperq;
Bellandi merces ſit gloria, cætera uobis.

Hanc Romani ardentiſſime dilexerũt, ꝓpter hãc uiuere uolebant, ꝓpter hãc mori nõ dubitarũt, hæc potuit Curtium in illũ terræ hiatũ ĩmergere, Mutiũ ad ſua membra exurenda inflãmare, fratres Philenos ut uiui terra obruerẽtur impellere, Codrũ Regẽ, & tres Decios, ut ſe pro patria deuouerent, excitare, hæc Fabios, Marcellos, Aphricanos, Cæſares ad res magnas forti animo capeſſendas incendere. Hinc Cicero in libris de Rep. tradit, prin-

cipem ciuitatis alendum eſſe gloria, maioreſq; ſuos mul ta mira atq; præclara gloriæ cupiditate feciſſe. eſt enim (ut inquit Statius)

Fax mentis honeſtæ
Gloria.

Et alius Poeta.

Tu ſola animum, mentemq; peruris Gloria.

Cuius optimus quiſq; tanto amore flagrat, ut ſummi imperatores quo memoriam apud poſteros propagarent, ſuis ſtatuis ac imaginibus fora, templaq; decorarint, has ex ebore, marmore, metallo et coloribus effingentes. Quæ tamen uideri poterant ambitionis potius q̃ probitatis inſignia, et non tam uirtutis ſplendorem, q̃ iactantiæ umbram repreſentare. nam pleroſq; reperire licet, qui omnes ſuas uigilias ac ſtudia referant ad popularis auræ uanitatem, ſtudentes quod ſimulationis eſt proprium, magis uideri boni q̃ eſſe. ut enim ſcribit Salluſtius, gloriam, honorem, imperium boni et ignaui æque ſibi exoptant, ſed illi uera uia nituntur, hi quia bonæ artes deſunt, dolis atq; fallaciis contendunt. Hos blandientis plebeculæ uoces delectant, quas uel metus extorquet, uel neceſſitas cogit, uel ſuadet utilitas. Id quantum in ſe turpitudinis habeat, uno hoc uerſiculo Menander oſtendit.

*Vera gloria quantum diſtet a ficta, et ſimulata.*

Inanis gloriæ captatore nihil ærumnoſius

*Quæ laus Pontifici debeatur.*

Te uero noctes atq; dies Pontifex Maxime iis laudibus decantamus, quas nulla ſimulatio effingit, ſed uberrimus animi effectus exprimit, ueritas ſuggerit, pietas effundit. Et quo minus gloriam appetis (quod de Catone tradi/

tum eſt) eo te illa magis ſequitur, ut qui uirtutem tuam potius q̃ fortunam admiramur digniſſimumq; iudicamus, quem nullæ diſertorum linguæ, nulla ſapientum ingenia conticeſcant. Nec alioquin alia eſt nominis in æternũ propagandi ratio, q̃ ſi illud non in æs, ſaxiſue, ſed in libris & egregiis literarum monumentis incidamus, in quæ nihil flammis, nihil uetuſtati nihil poſteris liceat, cætera omnia aut tempus atterit, aut carpit poſteritas, aut obſcurat obliuio. Cum autem uberrimum uirtutis alimentum uel (ut græci tradunt) diuinum bonum ſit honor, is ea potiſſimum uirtute quam fortitudinem appellamus, comparatur. hæc enim & apud homines plus admirationis affert, & in ſe plus laudis excellentiæq; habere uidetur, nec ulli uirtuti plura monumenta, trophæa, arcus, carmina, templa, ſacrificia, ueteres dicarunt. Huius præter cæteros, conſtat Romanos fuiſſe mirifice ſtudioſos, ut qui iudicarint hominis excellentiam in ea uirtute maxime eſſe poſitã. Arbitrorq; olim hoc nomen quod eſt Virtus, ſolam fortitudinem ſignificaſſe, ex uiro enim uirtus eſt appellata, uiri autem maxime propria eſt fortitudo, deinde uſu factum ut omnes recti animi affectus uirtutes uocarẽtur. Nec temere apud Maronem reperies uirtutem accipi niſi pro fortitudine, ut illud.

*Veram gloriã ex fortitudine comparari.*

Diſce puer uirtutem ex me, uerumq; laborem.

& alibi.

Macte noua uirtute puer ſic itur ad Aſtra.

Atq; alis plærisq; in locis. Tentabo autem ex Maronis uerſibus omnẽ uim, rationemq; fortitudinis depromere

*Ex Maronis uerſibus de fortitudine eſſe differendũ.*

ut cuiq; fiat perſpicuum quantum reconditæ, & abſtru/ ſæ Philoſophiæ in eo poeta deliteſcat, ſimul Ariſtote/ lis inuitatus exemplo, qui hac ipſa de re agens quoſdam Homeri uerſus in teſtimonium affert, & tanti eum poe/ tam fecit, ut & Alexandro illius carmen accuratiſſime fuerit interpretatus, & ſex libros homericarum ambi/ guitatum conſcripſerit. Ego certe non minus de Maro/ ne ſentio, q̃ ſapientiſſimi Græci de Homero, cuius poe ſim Anaxagoras Clazomenius, & Baſilius cognomento magnus laudem uirtutis continere affirmant. At Plato in eo libro, qui eſt de ſummo bono inſcriptus, & Plutar/ chus in eius uita, ſentiunt omnes artes ſiue diuinæ, ſiue humanæ illæ ſint, in unum Homeri poema uelut in pro prium receptaculum confluxiſſe. At noſter hic Mantua/ nus, nihil pene a Philoſophis late, fuſeq; diſſeritur quod poeticis anguſtiis non coarctet, qui omnia ſcientiarum lineamenta, & ſimulacra, & quã græci ſymetriam nomi nant, diſſimulanter, & quaſi aliud agens complectitur. Audiamus itaq; Maronẽ acutiſſime de fortitudine phi loſophantem, quæ uirtus olim tanto fuit in pretio, ut in quibus maior uideretur, eos Heroas uocarent, & ut Se/ mideos uenerarentur, adeo ut in campis Elyſiis primũ locum obtineant.

Magnanimi Heroes nati melioribus annis.

Vbi eadem fortitudinis opera, ut omnium pulcherrima exercent. nam

Quæ gratia currum
Armorumq; fuit uiuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Agam autem de hac uirtute,non ut Peripatetici, qui eã neſcio intra quas anguſtias concludentes, & tanq̃ Ly- curgi legibus ſubſcribentes ſolam bellicam fortitudinẽ uidentur cognoſcere,ſed ut late ſe diffundat, & ad uniuerſas humanas actiones porrigatur. Nam licet omnes uirtutes ſint inter ſe nexæ & iugatæ, nec diſſolui,ſepa- rari ue queant,& ut Lucretii uerſus in hunc ſenſum de- flectam,

Communibus inter ſe radicibus hærent,
Nec ſine pernicie diuelli poſſe uidentur.

Adeo ut qui unam fatetur ſe non habere,neceſſe ſit fa- teri ſe nullã habere, in primis tamen Fortitudo reliquis uirtutibus ita cohæret ut ea ſublata nulli uirtuti locus re linquatur. Virtutem.n.ſemper liberã eſſe uolumus,ſem per inuictam,ut inconcuſſis uiribus aduerſus omnia ui- tia decertet, quæ niſi ita ſit, nomen uirtutis amittit. Hoc autem ſola præſtat fortitudo quæ quicquid cade- re in hominem poteſt,infra ſe habet,caſuſq; omnes con temnit humanos.hæc eſt ad labores infracta, alacris ad pericula, alienior a uoluptate, & in primis ab auaritiæ ſordibus omniq; temeritate immunis. Vnde fit ut ei ni- hil deſit,nihil ſuperſit, noſq; reddat ſemper intrepidos atq; magno,erectoq; animo,& ſi fas eſt dicere,ipſis pe- ne numinibus pares, nam (ut inquit Menander) præſi- dium maximum eſt Virtus mortalibus. Et quia Pytha goras,Platoq; ſummæ ſapientiæ duxerunt,nomina re- bus imponere,Fortitudinem a ferendo,perinde ut For tunam nominamus,alia tamen atq; alia cauſa,hæc,quod temere & ſine ratione feratur, illa, quod æquo animo

ferat proſpera, & aduerſa. Quæ ſic definiri poteſt. Fortitudo eſt animi firmitas legi ſummæ in ſuſtinendis, & adeundis rebus, omniq; uiuendi munere obtemperans, qua qui præditus eſt, nec temere audet, nec inconſulte timet, nec nouit, aut aduerſis frangi, aut proſperis efferri, ſed utriſq; moderatur, cum eius ſit peculiare officium a medio non diſcedere, quo relicto in defectum abire, aut in exuperantiam eſt neceſſe, cum qui a recto detorquet itinere, ſi ad dextram, temerarius ſit, & pertinax, ſi ad ſiniſtram, pauidus, & meticuloſus. Omnis quippe uirtus in temperandis, coercendisq; animi motibus uerſatur, ſed hæc cæteris manifeſtius, cum ſit quædam mediocritas inter timorem & audaciã collocata, utaturq; uelut ſuarum actionum adminiculo quibuſdam animi motibus, & præcipue ira, quam ob id ipſum Peripatetici cotem fortitudinis appellarũt. Ideo Poeta Fortitudinem quodam uelut affectuum agmine circunſeptam plærunq; inducit, ut eo loco,

Aeſtuat ingens
Imo in corde pudor, mixtoq; inſania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conſcia uirtus.

*Diuiſio animae et in qua eius parte affectus reſideant.*

Quapropter opportunum duxi de animi motibus hac in parte plenius diſſerere. Animam omnes fere recte Philoſophantes trifariam partiendam cenſuere, in eam quæ alit, & quæ ſentit, & quæ ratione utitur, primæ quidem partis non aliud eſt munus q̃ alere, & procreare, ineſt q; ſola herbis, ac ſtirpibus, quæ hac ut altrice, & progignente alimoniam ſibi comparant. ſecunda uero cum uegetali illa coniungitur, atq; in unum

coacta conſtituit animal quod ſenſiuum, ſiue ſenſuale recte appellabimus, cuius officium eſt loco moueri, incedere, cernere, olfacere, audire, guſtare, tangere. Duabus uero his naturis tertia annexa eſt, quæ Rationalis ab ipſa ratione eſt dicta, tertiumq; illud conſtituit genus, quod ab excellentiori parte uocatum eſt rationale. Sed quia de prima illa uegetali hòc loco tacendum puto, quippe cum nec ſentiat, nec cognoſcat, animus quantum ad naturam hominis attinet, bifariam diuiditur. cuius altera pars ratione utitur, altera uero eſt rationis expers. in rationis experte, ea eſt appetendi uis ut tum lætitia geſtientes efferamur, tum dolore preſſi ingemiſcamus, aliquando concupitarum rerum libidine ardeamus, modo periculo imminente exanimemur metu, atq; hi ſunt quatuor uirtutum omnium, & ſcelerum quaſi fontes. Ex hac bipartita animi natura duo quoq; prodeunt uiuendi genera, alterum quo a brutis non admodum differimus, alterum quod ſolius eſt hominis, unde duplices patent curſus animorum e corpore excedentium, duæq; aperiuntur quaſi uiæ, dextra quæ perducit ad ſuperos, ſedeſq; beatas. *Duplex curſus animorum excedentium.*

At leua malorum

Exercet poenas, & ad impia tartara mittit.

Nam qui uitiis contaminati, ſe totos libidinibus coinquinarunt, relicto calle cœleſtis patriæ in miſeriam incidunt ſempiternam, quos iudex Rhadamanthus

Caſtigatq;, auditq; doloſ, ſubigitq; fateri.

Quippe animi perturbatio quæ nobis eſt cõmunis cũ

belluis ad ſenſus pertinet, qui mouentur ex quadam quaſi impulſione oblata extrinſecus, ſola autem ratione, intellectuq; diſiungitur, quæ ubi ſenſuum appetentia ſuperatur, uelut ſæuientium procellarum turbine correpti iactamur in altum,

Incerti quo fata ferant, ubi ſiſtere detur.

Ab hominéq; adeo degeneramus, ut nos ueluti quædam Circe tranſmutet,

In uultus & terga ferarum,

Et ſub humana ſpecie ferinum uultũ induti uideamur

Setigeriq; ſues atq; in præſepibus urſi

Sæuire & formæ magnorum ululare Luporum.

*Perturbationes animi cur paſſiones dictæ et quomodo animus patiatur.*

Has animi perturbationes aptiſſime uerbo ex dictione græca ducto paſſiones appellamus, cum ab his animus corpuſq; pati uideatur. & quoniam conſtat nihil incorporeum pati poſſe in anima quæ ſuapte natura cupiditatum atq; æmulationum eſt expers, quatenus corpori cohæret, paſſiones exiſtunt. Cohæret autem duplici nexu, & ut forma materiæ, & ut motor ſuo mobili. Qua ſubit rationem formæ, corporis paſſio in eam poſterius recidit, cum infirmo, imbecilliq; corpore, animæ quoq; uirtus & operatio hebetetur. Qua uero ipſum corpus mouet, affectus ab ea initium habent, cum ira, timor, & id genus per apprehenſionem & appetitum prius animæ inſint, & per eã in corpus tranſmigrent, quiſq; in ſe ipſo experitur uehæmentiores animi motus id plerunq; efficere, ut corporibus etiam patiamur. Sed licet huiuſmodi motus quo ad naturam ſui, ab anima ortum habeant, tamen ut

nomen,rationemqꝫ paſſionū ſubeunt,ab ipſo corporē
oriūtur ,atqꝫ in animam obiter redūdant,ex ipſius enim
corporis facibus ad omnes fere cupiditates incendi-
mur . Hæc omnia cum Poeta de natura, origineqꝫ ani-
morum ageret,pauciſſimis uerſibus eſt complexus , in-
quiens .

Igneus eſt ollis uigor,& cœleſtis origo
Seminibus,quantum non noxia corpora tardant,
Terreniqꝫ hebetant artus,moribundaqꝫ membra.
Hinc metuunt , cupiuntqꝫ , dolent,gaudentqꝫ,nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris,& carcere cæco.

Quid eſt homini accommodatius? quid cōducibilius ?
q̄ꝫ animorum originem noſcere,in quam cum redire po
terit,tum futurus eſt beatus? Nam cū ex animo,corpo-
reqꝫ conſtemus,& alterum ſit brutum,caducū,& in inte
ritum procliue, alter incorruptus, æternus, immortalis,
planeqꝫ diuinus,qui ita mentem a ſenſibus ſeuocant , ut
ſe animi nobilitate immortales cognoſcant , hi uincu-
lis huius corporis ſoluti facile ad cœlum, ut in propri
um domicilium remeant , Cum uero noſtra omnis co-
gnitio a ſenſibus ortum habeat,de his prius uidetur agē
dū.Cōuenit inter omnes,ſenſus exteriores eſſe quinqꝫ, *De ratione ſenſuum , et de ſenſu communi.*
de interioribus ambigitur. Ariſtoteles tres duntaxat ex-
preſſit,Senſum cōmunem, Phantaſiam ,& Memoriam.
Auerois uero quartam addidit uirtutem,quam in homi-
ne uim cogitandi,in bruto uim æſtimādi uocat.alii plu
res,alii pauciores autumant . A ſenſu uero quem cōmu
nem appellant,quaſi a centro quinqꝫ illi notiſſimi profi
ciſcuntur,ueluti totidem lineæ ad circuli rotunditatem

duɫtæ ,ſenſus autem communis res diſſimillimas com/
prehendit , ut colorem , ſaporem , calorem ,odorem,
ſonum . Suntq; uiæ quaſi quædam ad oculos , ad na
res,ad aures a ſede animæ,ſiue mauis ab eo ſenſu ,quem
iam ſæpe communem appellamus ,profectæ . Ita ut
inde ſenſus exteriores quaſi uaſa quædam , & recepta/
cula quo impleantur , accipiant , communiſq; hic ſen/
ſus per oculos , per aures quaſi per feneſtras lucente ui
tro , aut ſpeculari lapide obductas, tranſmittit uim ui/
dendi , & audiendi , licet Peripatetici ſentiant actus
ſenſus exterioris fieri per ſuſceptionem potentiæ ſen/
ſiuæ ,nec ſenſum communem tranſmittere ſpecies ad
alios ſenſus , ſed contra potius ab his recipere , unde il
lud Propheticum , Mors intrauit per feneſtras ueſtras .
Frequenter enim contingit , ut apertis , atq; integris, &
oculis , & auribus nec uideamus , nec audiamus , uel
quod animus alio ducitur , uel quod impediat mor/
bus , nam & uehementior cogitatio occæcat ,& in mor
bo comitiali nihil cernimus , animo ſcilicet caligante ,
unde facile intelligi poteſt , eam animæ partem uide/
re & audire , non receptacula illa quæ quaſi feneſtræ
ſunt animi . Et licet ſenſus omnes longe in nobis ſint
perfectiores q̃ in brutis,duo tamen in homine certiſſi
mi habentur , tactus , & guſtus , in reliquis uidemur
quandoq; a brutis ſuperari, nam & Aquilæ acutius cer/
nunt ,& Canes ſagacius odorantur , & Talpæ liquidius
audiunt . Cæterum non quicunq; aſpirat ad felicita/
tem ( eo enim omnes tendimus )continuo tantum men
tis acie ualet,ut qua in re ea cõſiſtat, ſatis diſcernere poſ

*Quæ ſit ſenſuum uis et quantum eis attribuendũ.*

ſit nanq; humi proſtratus animus, & ſi erigi nititur, ta men mole corporis depreſſus quæ in excelſo collocata ſunt, non niſi ſenſuum caligine diſcuſſa intuetur, unde illud Maronis ex intima philoſophia depromptum.

Aſpice nanq; omnem quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat uiſus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Licet autem res quædã ita ſint paruæ, ut ſub ſenſus ca dere uix poſſint, quædam ita mobiles, & concitatæ, ut continue labantur & fluant, in his tamen quæ cõprehen di poſſunt, cõprehenſio facta ſenſibus plerũq; eſt uera, & fidelis, ex hiſq; poſtea notiones rerũ in animis impri muntur, cum ad ea quæ uiſa ſunt, & quaſi accepta a ſen ſibus, accedit aſſenſio animorum quæ actum uoluntatis præcedit. Quilibet autem ſenſus rem obiectam prius comprehendit ut oculus colorem, auris ſonum, poſt apprehenſionem uirtus interior ad aſſentiendum mo uetur. Eſt enim uis quædam in animis noſtris quam ſiue cogitandi, ſiue (ut uocant) cogitatiuã dixeris, parui refert (nec enim in delectu uerborũ ſumus occupati) cui boni, maliq; iudicium natura demandauit. hæc uis ita iudicat, ut quandoq; nihil præter ſenſus reſpiciens, & illorum uelut illecebris allecta, quod pecudis eſt, homi ni eſſe bonum decernat, quandoq; uero uelut quo dam lumine illuſtrata, non id putat bonum, quo ſen ſus demulcentur, ſed quod recta ſuggerit ratio. Cum igitur eiuſmodi uis hoc bonum, illud malum eſſe coſtituerit, excitatur in nobis alia quædam uis, quem appetitum omnes uocant, hunc duplicem eſſe oportet

*De ui animi cogitandi et de uolũtate, et appetitu.*

alterum qui a iudicio ſenſuum ſemper pendeat, nihilq; cum ratione concupiſcat, alterum qui id demum ſequitur quod ratio præcipit, illum libidinem, hunc uoluntatem nuncupamus. Quapropter erit appetitus, quo animus ad bonum aſciſcendum, malumq; declinandũ mouetur, bonus quidem ſi a ratione, contra ſi a ſenſu ducatur. Sed appetitus quoq; ille qui a ſenſu ducitur, duplex eſt, alter ſeſe cupiditati accommodans, alter iræ quæ animæ uires ab aliis potentiæ, ab aliis poteſtates dicuntur, uerboq; licenter ab hodie philoſophãtibus uſurpato, illam uim concupiſcibilem, hanc iraſcibilem uocant. Hoc totũ pulcherrimo ænigmate tradit Plato qui cum animum noſtrum uelut aurigam finxiſſet, illi duos equos adiungit, alterum album, pulchrum atq; honoris cupidum, qui non ui nec minis, ſed cohortatione, rationeq; regatur, alterum nigrum, inglorium, contumacem. Nam ueluti ab equis currus, ſic animus ab appetitu ducitur, & uelut illi trahunt non ſuo arbitrio, ſed imperio aurigæ a quo reguntur, eodem pacto appetitus nihil ex ſe agendum decernit, ſed quod ab alia ui decretum eſt, ſequitur. Hactenus de ſenſibus, nunc de animi affectibus plenius diſſeramus. Omnis Socratica ſchola ſentit animi perturbationes ex deprauata opinione ductas ad ſenſus pertinere, rationiſq; eſſe expertes, atq; in alia parte animi cupiditatem, in alia rationem eſſe collocandam, Quippe mentem omni turbido motu eſſe uacuam, & haſce animi partes in quibus ægritudines & libidines uerſantur, eſſe ſemotas ac diſcluſas a mente quæ diuino lumine illuſtratur. Sed

*Platonicum Aenigma.*

eam quoq; mentem Platonici Chriſtianiq; philoſophi duplicem eſſe uolunt, alteram inferiorem, alteram diuinam, & ſuperiorem, ideo Auicēna tradit animū noſtrū uelut alterum Ianū duplici ore inſignitum eſſe, ut hoc ſurſum uerſum altiſſima quæq; per ſapientiam ſuſpiciamus, illo res naturales, actioneſq; humanas per prudentiam indagemus. Quo fit ut duplex in homine uirtus inſit, altera contemplatrix, ipſa quidē, ſemotaq; ab actionibus, altera actionibus ipſis uſq; dedita, ab illiſq; merito cognominata. quamobrē intellectus quoq; ipſe qui utranq; complectitur uirtutē, eſt diſtinguendus in agentem, & contemplantem. Quippe egregie illud, melior eſt iniquitas uiri q̄ mulier benefaciens. nec.n. præfertur iniquitas uiri, æquitati muliebri, ſed per parœmiam exprimitur rectius eum agere qui deſiderio rerum cœleſtium raptus plurima corporis, & ciuilis uitæ commoda negligit (quæ res uidetur iniqua) q̄ qui ut nullum uitæ ciuilis officium deſerat, cœleſtium rerum curā omittit. Plus.n. (ut ſcribit Ariſtoteles) uoluptatis ex quauis exigua cognitione rerum diuinarum capimus q̄ ſi omnia humana nobis nota, exploratáq; ſint, quemadmodum (ut idem ait) minimam partem delitiarū noſtræ puellæ inſpexiſſe iucundius eſt, q̄ reliquarum omnium fœminarū uoluptate perfrui. eo quoq; tēdit illa de duabus ſororibus euangelica comparatio. Affectiones autem ueluti procellæ quædam in nobis exoriuntur, quæ nunc dolo, nunc aperta ui animum niſi radicibus uirtutum fuerit munitus, labefactare & concutere, ueluti turbationum tempeſtate conantur. quæ & ſi fuerint acie

*Affectus eſſe a natura inſitos, ratione tamen moderandos.*

rõnis exciſæ,tñ morſus quoſdá & cõtractiũculas animi relinquunt,adeo ut illud Euripidis ab oĩbus cõmendetur. Nemo eſt mortalis qué nó tãgat dolor,morbuſq;. Sed cũ animus in partes duas ſit diſtributus, quarũ altera ratiõis eſt particeps,altera uero expers, recte nos quoq; duo dici poſſumus,quorũ alter ĩperat,alter paret, nã cũ nobis pcipitur ut nobis ipſis ĩperemus, hoc nimirũ præcipitur ut ratio coerceat temeritatem, & imperet illi parti quæ obedire debet,ueluti ſeruus domino, & miles imperatori.atq; hos aduerſos animi motus uelut uinclis,& cuſtodiis ut famulos, & mancipia coerceat.ratio ipſa in homine cum perfecta ſit,illi parti imperat quæ eſt inferior, et a qua affectiones motuſq; concitatiores in nobis exoriuntur. Nã uirtutes morales homini nõ inſunt a natura,ſed diſcendo,agẽdo,multũ, diuq; exercendo cõparantur,quibus tamen aſſequẽdis natura ipſa nos idoneos maxime appoſitoſq; fecit. Cum ad cæteras opes,ac facultates,& ingenii uires qbus natura nos probe inſtruxit,affectus quoq; illos adiecerit appetitionum actionũq; omniũ excitatores,quos liberos,& uagos eſſe permiſit,ut modũ ipſi menſurãq; p cognitioné,rationẽ q; ſtatueremus. Nã hæ ipſæ cõmotiones quæ ad agendũ nos impellunt,ſi fuerint feruentes atq; æſtuantes, ad iniqua,uiolenta,flagitioſaq; nos rapient,ſi uero puſillæ, remiſſæ ac languentes,itidẽ & actiones quoq; noſtræ,lãguentes,infirmæ,inutileſq; reddentur. At modus ubi acceſſerit,ut neq; relãgueſcant animi affectus,nec impetu quaſi præcipitentur ſed mediũ quoddã retineãt,tunc in agẽdo gignitur Mediocritas illa quæ iure meritoq; uirtus dicitur,& quidem moralis,quoniam ab aſſueſcendo

*Affectus nobis ineſſe a natura et quatenus ratiõe moderandi.*

nomen hoc ſibi peperit. Ideo ſi hi affectus recte ac mo/
derate interagendum temperati fuerint, dicimur & habe
mur uiri boni, iuſti, planeq; probati, ſecus autem mali,
improbi, nefarii. Qui uero affectiones ignorat, uirtutes,
habituſq; ignoret neceſſe eſt, cum nihil aliud ſit uirtus,
q̄ affectio ſedata, & recta, nec uitium niſi affectio ab
ordine, modoq; deuia, & aberrans. Quo magis iriden/
da eſt Stoicorum opinio, qui uolunt animum ſapien/
tum his omnibus motibus carere, eoſq; morbos animi,
& ægritudines uocant, nec ullam in his mediocritatem
agnoſcunt, ſed radicitus euelli iubent, cum dicant non
ſolum ramos perturbationū eſſe amputādos, ſed omnes
etiam fibras, atq; ſtirpes ipſo trunco prius euerſo peni/
tus elidendas, omne enim malum, etiam ſi mediocre,
uitandum eſſe, & quemadmodum corpus mediocriter
ægrum, ſanū dici non poteſt, ſic mediocritas morborū
animi ſana non eſt. Omniū autem perturbationum aiunt
fontem eſſe intemperantiā, quæ eſt a recta ratione defe/
ctio, ut nullo modo affectiones animi aut regere, aut
coercere poſſit. Vox (ſi Ciceroni credimus) magnifica,
ſi ueritati indocta, & pene ridicula. Appellāt autē Stoici
uirtutes (ut eorū uerbo utar) impaſſibilitates. at Epicurei
contra, omnes animi affectiones laudibus efferunt, atq;
eas ex quadam fortuita concurſione Atomorum con/
calefacta, & ſpirabili, ad uſum, commodūq; animantiū
produci affirmant. Vtriq; ſatis abſurde, ac imperite, nam
nec illi affectus cenſendi ſunt boni, qui uſum rationis
impediunt, nec mali, qui rationi famulantur. Sicut enim
uirtutes (ut ſupra diximus) non ſunt a natura nobis inge/

*Quā abſurde de animi affectibus ſenſerint Stoici.*

*Virtutes non eſſe a natura inſitas, ſed ad eas acquirendas natura iuuari.*

nitæ, nec animis noſtris uelut inſitæ, ita natura ipſa plæ raꝗ; inſtrumenta ad agendum, atꝗ; ad intelligendũ apta, & opportuna nobis eſt elargita, & præcipue animi affe/ ctus, quibus moueamur, & impellamur ad ea cũcta, quæ honeſta, utilia, iucunda, bonaꝗ; eſſe uidẽtur. Ideo ab Ari ſtotele philoſophorũ omniũ acutiſſimo traditũ eſt, uir tutes neꝗ; homini eſſe a natura innatas, neꝗ; adipiſcendis illis naturam reluctari, quinimmo multa ad id, maximaꝗ; adiumenta ſuggerere, atꝗ; affectus in primis, quibus ad ipſas uirtutes excitamur, excitatiꝗ; progredimur, eos tñ ita ſequi oportet, ut intra girũ rationis contineantur. nã affectus ipſe, ubi cupiditate æſtuante fuerit concitatior, labefactat, præcipitatꝗ; animũ, ubi uero dolore contra/ hente lãguidior, nos ab itinere recte agẽdi auertit, deter/ retꝗ;. quapropter ut illic ardor ille nimius, ſic torpor hic, deiectioꝗ; contrariorũ omniũ ſunt principia, & cauſæ. Iis igitur tẽperandis occupata uirtus erit, cũ peculiare ſit

*Virtutem in moderãdi affectibus præcipue uerſari.*

eius munus a medio non recedere, illorum autẽ propriũ fluitare, & diffluere motu, atꝗ; exagitatione ſua, nam ut defectus reformidat, ita exceſſus plus nimio confidit, il/ lius cauſa eſt metus, huius libido, atꝗ; temeritas. Virtus au tem utriuſꝗ; naturã animaduertens, & frenũ adhibet fidu ciæ, eãꝗ; impetu coercito cõpeſcit, & metui addit ſtimu los, calefacitꝗ; eius frigiditatem, atꝗ; imbecillitatẽ confir mat. Itaꝗ; ab affectionibus in primis ad agendũ excitati, deinde ratione adhibita, aſſiduam per aſſuefactionem, & continuum uſum, habitũ nobis comparamus, quo con/ ſtituto, qui, & qualis quiſꝗ; ſit, ab actionibus ipſis digno ſcitur. Ideo ſapiẽter præcipit Ariſtoteles laborandũ eſſe

atq; aſſueſcendum homini ad uirtutem conſequendam, cuius principia eſſent ipſa in natura collocata. coeterum allaboratio, progreſſioq; ad illam, aſſecutio deniq; atq; adeptio hominis eſſet integra, & ſolius quidem hominis, cuius habitu ubi inſignitus quis fuerit, id efficit, ac præſtat, ut ſciens, uolens, eligens, libens, ad metam ipſam abſolutiſſimæ uirtutis indefatigato peruentat curſu. Qui autem affectus omnino tollunt ipſa uirtutum rudimenta, omnemq; bene agendi rationem tollere uidentur. Neceſſe eſt enim (ut antea diximus) nos prius moueri atq; affici, quam accedamus ad agendum. mouent autem ipſæ affectiones opinionis adminiſtræ, atq; excitant, quæ non modo naturales ſunt, ſed etiam utiliter a natura datæ, nam & iram cotem uirtutis Peripatetici uocant, uirumq; uideri negant, qui iraſci neſcit. Et totum illud quod ſub genere cupiditatis continetur, ad ſummam hominum utilitatem ſpectare uidetur, nihil enim quiſq; niſi quod libeat, præclare facere poteſt. Idem de ipſa ægritudine, ut homines etiam impunitate peccatorũ propoſita, tamen conſcientia ſtimulante ſe in delicto eſſe dolerent. Nec ulla eſt pars ægritudinis quæ utilitate uacet, ut miſericordia ad calamitates inſontiũ ſubleuandas, ſic æmulatio, obtrectatio, mœror, luctus, moleſtia, afflictio, & cætera eiuſmodi quorũ nihil eſt nõ utiliter hominibus a natura datũ. Metu uero ſublato omnis recte uiuendi diſciplina tollitur. Fatemur tamẽ nimia reſecari oportere, naturalia uero relinqui, nã ea funditus extirpare nec poſſumus, nec debemus. Et ſicut in omnibus fere rebus mediocritas eſt optima, ita

*Vtiliter a natura affectiones eſſe datas, et quanto in errore uerſentur, qui eas tollunt.*

in ſapientem ea lege ægritudo,reliquæq; animi pertur/bationes cadunt, ut ad mediocritatem redigantur. In quibus ſedandis, temperandiſq; omnis humana uirtus, honeſtaq; actio uerſatur. Demulcemur quidem uoluptatibus a quibus non poſſumus niſi ægre diuelli. quippe blanda,adulatrix, & ueluti ſui læna eſt uoluptas,quæ ita ſenſibus applaudit, ut totos paulatim occupet, niſi rationis lumen ita in nobis illuxerit,ut uoluptatum ſordes intueri poſſimus. Iccirco plerunq; hinc nos illecebræ uoluptatum trahunt, illinc honeſti,uerią; purchritudo ad excelſum erigit. Hæc eſt illa paleſtra, & perpetua colluctatio,in qua ſenſus pugnat,& ratio,uiciſſimq; uincunt,& uincuntur. Hanc luctam in ſe ipſo experiebatur Apoſtolus,inquiens. Video legem in membris meis repugnantem legi animæ meæ. Inter hæc mediæ ſunt affectiones nullo adhuc habitu ſatis firmæ,ſed quæ modo ad hoc,modo ad illud impelluntur, in quibus (ut diximus) frenandis,& coercendis omnis recta ratio uerſatur, Ideo apud Maronem qui ſub uerborum inuolucro figurationibus obliquis cum decore quodam arcana Philoſophiæ tradit, Ratio Aeoli nomine deſignata,quicquid imperii habet,id omne a Iunone,hoc eſt,a ſenſibus recognoſcit.ita enim eam alloquitur.

*Quanta inter ſenſum et rationem ſit pugna et colluctatio.*

*Quam egregie Maro de ratione et ſenſibus ſcripſerit.*

Tu mihi quodcunq; hoc regni,tu ſceptra,Iouemq;
Concilias,tu das epulis accumbere diuum,
Nimborumq; facis,tempeſtatumq; potentem.

Omnia ſe Iunoni debere ratio fatetur, ueluti quæ niſi turbationes adſint, nihil magnopere habeat, ubi ſuum imperium exerceat. Nam ſi non inflammetur appetitus

cupiditate rerum terrenarum, & uelut mare turbinũ flatibus agitetur, non admodum indigere uidetur uita noſtra imperio rationis, cui qui obtemperat, deo obtemperat. Rectiſſime eſt apud Platonem bono uiro legem Deum eſſe, malo libidinem. Conſtat autem eos animi motus nõ temere, nec fruſtra homini a natura datos, cui cum ſit inſitum, atq; innatum, ut ſe uitam, corpuſq; tueatur, declinetq; ea, quæ uidentur nocitura, timere eum eſt neceſſe & obfutura recuſare, profutura uero appetere, & ſequi. Hinc cum odio, & mali fuga metus, hinc appetitio cum ſpe bona, & fiducia. Et licet prima quaſi titillatio ſit a ſenſibus, per eos tamen (ut iam diximus) ueluti per quaſdam feneſtras acceſſus eſt ad animũ, qui ratione adhibita motus eos ſedat, moderatur, & regit. Nam quanuis ſenſuum ſit ipſorum etiam abuſus, omnis tamen improbitas inde ducit ortum, quod ab ipſa fuerit ratione receſſum, ſub cuius ductu, & imperio nulli eſt permiſſum aberrare. Sũt nihilominus, qui affirment quoſdam fuiſſe ea immanitate naturæ, inflexibilitateq;, ut humanis affectibus omnino caruerint, qnod de Socrate proditum eſt, qué uxor Xantippe prædicare ſolebat, eodem uultu ſemper ſe uidiſſe exeuntem domo, & reuertentem, nec unquam triſtiorem, hilarioremue factũ ne tum quidem cum in celebri illo Sympoſio, minutis, & rorantibus poculis ſe pluſculum inuitaſſet. Dicũtur & in Aethyopia populi quidam, qui neq; doleant, neq; iraſcãtur, nec ullas humanas affectiones ſentiant, quos ob idipſum Apathes uocant. Quæ omnia cõmentitia reor, cum nec uoluptaté ſentire, nec dolorem, nõ hominis

*Homines neceſſario affectibus moueri.*

*Socrates.*

ſit non bruti,ſed plane lapidis, Quod enim poteſt eſſe animal, in quo non appetitio ſit, inclinatioq; naturæ? Sed nec hi motus reprehendi ſolent, quippe,qui a natura nunquam abhorreant, niſi in illis qui relicta natura duce ſe præcipites dederunt,effrenatiſq; motibus rapiuntur. in his Vergilianum illud locum habet.

*Motus animi atq; affectiones quatenus ſint reprehendendæ.*

Triſtius haud illis monſtrum,nec ſæuior ulla
Peſtis,& ira Deum ſtygiis ſeſe extulit undis.

Nam(ut inquit Pindarus)perturbationes animorũ etiam ſapientem uirum cogunt inſanire. Animis enim perturbatis nunquam iudicare recte licet, nam uel cupiditate, uel ægritudine ita diſtrahuntur interdum, ut ſui compotes eſſe non poſſint. Ad hoc accedit,quod tantæ quandoq; peruicaciæ ſeſe mortales obnoxios faciunt,ut ſcientes,uidenteſq; præcipites ruere,quam ad ſanitatem redire malint, cum nihil recte adminiſtrari poſſit perturbatione duce,quæ ſi non omnino tollit,impedit tamen nõ mediocriter rationis uſum.ei reſiſtere,nec pati latius diffundi ſummæ uirtutis eſt. Omnis autem Stoicorum error inde(niſi fallor)emanauit,quod inter ſenſum, & intellectum nullum eſſe diſcrimen ducebant. Nam cũ duplex ſit(ut paulo ante diximus)appetitus,alter a ſenſu, ab intellectu alter,& is qui emanat a ſenſu ſuapte natura rationi obtemperet,illiq; ſeſe accõmodet, Stoici parũ acuti rerũ naturæ indagatores,quæq; a ſenſu, quæq; ab intellectu ſunt,eadem ſolius ſenſus eſſe cenſebant. Quippe,qui in phyſicis ueluti plumbei,nunquã in naturam, præſtantiãq; animorum penetrarunt. Quos affirmabant exuto corpore,& cadauere iam abſumpto diſſolui,& in

*Quæ cauſa Stoicos ad tãtos errores induxerit.*

terire. interim liberaliter eis uſuram longioris uitæ uelu ti Comicibus largiebantur. Quæ opinio ſi recipiatur, uel in manu eſt Pigmentariorum, qui Aloe, Myrrha, balſamoq; abūdant, cadaueribus exēteratis, & linitis, animæ uitam propagare. Impie igitur Romani corporibus exurendis, animos quaſi capitis iudicio damnato, morte mulſtabant. Cæterum ſoli Stoici ſunt reperti, qui perturbationes uoluntarias eſſe putarint, per errorem nō ſeiungentes eas a motibus uoluntariis, cum euidētiſſime conſtet, illos ad appetitum, hos ad intelleſtū pertinere. Ideo omnes motus, qui a ratione non abhorrent, uirtutes appellabant, qui extra cancellos rationis, paſſiones. Horum ſunt præclara illa documenta. Sapientem nunquam ignoſcere, neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultū & leuem, Omnia peccata eſſe paria, turpe eſſe ſententiam mutare, exorari ſcelus, miſereri flagitium. Quos errores patrum noſtrorum memoria magno Eccleſiæ detrimento Nouatiani renouarunt. Sed illorum delira menta, uel (ut ipſi uocant) Paradoxa omittamus, & Maronis noſtri altiſſimam ſapientiam perſcrutemur, qui ſupra omnium philoſophorum ingenia, hunc locum exe cutus, Animaduertens id eſſe multo præſtantius, natura quod imperat, quam quod ſeruit, appetitum autem, ſi recte ſibi conſultum uelit, rationi, ut pareat oportere. Oſtendit omnē aduerſus effrenatiores animi motus medicinā eſſe a ratione petendā, eiuſq; imperio parendū. Alioqūin, cū homo ſit adeo fragilis, ībecilliſq; naturæ, ut in rebus aut aduerſis, aut repentinis in perturbationem ſit, quam in tranquillitatē procliuior, niſi imperio

*Quam diuine ſcripſerit de animi affectibus et perturbationibus.*

rationis regatur,breui pereat eſt neceſſe. Ideo eas per-
turbationes uentorum flatibus comparat,qui

Magno cum murmure montis
Circum clauſtra fremunt.

Hoc eſt,circa inferiorem appetitū,unde innumeræ procellæ crebra ſenſuum agitatione cientur. ſed

Celſa ſedet Aeolus arce.

Maro in omni ſuo poemate Platonem ſequutus,præcipuam animi partem ideſt, rationem, in capite ſicut in corporis arce collocat.

Sceptra tenens,mollitq; animos,& temperat iras.

Mollit animos,non in feritatem exaſperat,& iras nō eradicat,ſed temperat,& cohibet, ideo

Luctantes uentos,tempeſtateſq; ſonoras
Imperio premit,& uinclis,ac carcere frenat.

Animi motus ita moderatur ratio,ut eos coerceat,& intra fines contineat, nec permittat longius euagari quam par eſt,qui ſi rationis frenum excutiant,ueluti rapidiſſimi turbines

Maria,ac terras,Cœlumq; profundum
Quippe ferant rapidi ſecum,uerrantq; per auras.

Ea eſt perturbati animi natura, ea uis,is impetus, & furor, ut ſibi moderari nullo pacto queat, nam cum rationis lumine ſit orbatus, quamdiu ea caret, nec intueri perſpicue, nec recte iudicare poteſt. Quo fit, ut tanquam per obſcuriſſimas tenebras incedens, unde egrediatur, quo pergat, quo peruenturus ſit,penitus ignoret. Nā ſi ſenſuū blanditiæ ita animū demulceant, ut ſuæ ueræ,propriæq; originis immemor,rerū terrena

rum cupiditatibus irretiatur, non modo nõ reſtringit appetitum, quo ſolo animus mouetur, & a ſenſibus ori/ginem ducit, uerum ardentem ultro inflammat, unde in ſurgit atrociſſima tempeſtas,

Sed pater omnipotens.

Deus, inquam, homini cuius gratia cætera crearat, opti/me conſulens, uitioſos animi motus uelut compedibus uinctos

Speluncis abdidit atris

Hoc metuens, molemq́, & montes inſuper altos

Impoſuit, regemq́ dedit.

Animum, uidelicet rationis compotem, ac humanarum actionum moderatorem, qui perturbationes non radici/tus extirpet, nec enim ſumus ſenſus expertes, ut eis non tangamur, nec id per naturam fieri poteſt, & ſi fiat mul tum decoris, ac dignitatis uirtuti adimetur. Sed qui eas pro rerum, temporumq́ uarietate, modo ſedet, modo cohibeat, quãdoq́ ſi uſus poſtulet, mediocriter excitet, earumq́ adminiculo utatur, & deniq́

Qui fœdere certo,

Et premere, & laxas ſciret dare iuſſus habenas.

Nam rationis ope, & præſidio ſeuocandus eſt animus, atq́ ſeiungendus a turbulentioribus motibus, & ita huma næ infirmitati concedendum, ut ſecundum illud Chilo/nis, nihil nimis agamus. modus enim cum omnibus in re bus ſit adhibendus, temperandis tamen animi cupiditati bus eſt apprime neceſſarius. Tradit autem Areopagita, & quidem ueriſſime, ex omni paſſione, corporis faciem habitudinéq́ uariari, cum nulla ſit ex qua non ſequatur

*Corporis quoq́ habitum uariari ex animi perturbationibus.*

aliqua nunc occultior,nunc manifeſtior corporis immutatio, & præcipue circa præcordia. Quippe ex lætitia cor diffunditur, ex moerore arctatur & alia,atq; alia paſſione ſurgente,ad uſitatum eius motum,intendendo, remittendoue aliquid additur, aut imminuitur. Ideo illuſtres quidam medici ſex tantum affectiones numerãt, cum totidem circa cordis agitationem eſſe reperiantur uarietates. Nec minus in reliquo corpore agitati animi noſcuntur indicia. ex ſubito terrore frigemus, & uelut horrore concutimur, unde illud.

Mihi frigidus horror

Membra quatit,gelidusq; coit formidine ſanguis.

Ex ira igneſcimus,& ardemus,ut

Igneſcunt iræ,& duris dolor oſſibus ardet.

Ex re noua,& inopinata torpemus.

Obſtupui,ſteteruntq; comæ,& uox faucibus hæſit.

Nulla deniq; eſt affectio ſine aliqua corporis ĩmutatiõe. Quemadmodum uero Plato illam animæ partem quæ rationis eſt expers,in duas rurſus particulas ſecat, eaſq; ſuis in locis diſiungit,ut iram in pulmone, cupiditatem circa præcordia locet,ita & nos in anima ſenſiua duplicem appetendi uim affigimus,alteram concupiſcibilem alteram iraſcibilem appellant, nam in re quæ nonnihil obſcuritatis offundit,utar uerbis uulgatioribus, licet nõdum in eloquentiæ peculium admiſſis. Cum res quælibet natura duce tendat ad bonum,uelut ad finẽ,recte q; ueteres dixere,bonũ eſſe quod omnia appetunt,hiſq; aduerſanť quæ obſunt,quominus finẽ attigãt.Ideo quæ

*In anima ſenſiua duplicem eſſe uim cupiditatis,et iræ.*

bona uidentur, omnes ſequimur, fugimuſq; contraria. unde tradit Anaxagoras lite, amicitiaq; omnia gigni. Neceſſe eſt ſenſus quoq; ipſos circa boni appetitum, maliq; fugam uerſari. Ideo ſi ſemel obiecta eſt ſpecies cuiuſpiam quod bonum uideatur, ad id adipiſcendum natura excitamur. Contra ſi quippiam ingruit quod mali ſpeciem præferat, illud declinamus, horremuſq;. Sed quia in bonis adipiſcendis ſæpenumero difficultas propoſita eſt, ideo illorum gratia plerũq; labores maximi, grauiſſimaq; pericula ſponte ſubeuntur, nonnunquã uero quæ bona ducimus nobis omittenda potius uidentur, quam per tot labores, difficultateſq; adipiſcenda; & hoc propter diuerſos, inter ſeq; contrarios affectus; cum commotio illa quæ eſt ab ira nos ad difficilia, atq; ærumnoſa, & ardua impellat, quæ uero a cupiditate ad grata, & periucunda. Hoc exemplis fiet illuſtrius. Laterenſis cum tribunatum ambiret, in eius animo ſpes quædam illius magiſtratus obuerſabatur, ut res bona, & quæ plurimum decoris, ornamentiq; eſſet allatura. & ideo togam candidam induerat, contra uero meditatus quid laboris, moleſtiæq; ea petitio in ſe haberet, tribus eſſe circumeundas, manus cuiuſq; prehenſandas, potentioribus ſupplicandum, centuriatim largiendum, nomenclatorem, diuiſorem, ſectorem quærendos, demum ad nutum Iulii Cæſaris tunc conſulis tribunatum gerendum, his offenſus ex numero candidatorum ſe eximi iuſſit. At Cicero cum ei a .P. Clodio dies eſſet dicta, animo uoluebat, quantum in ſe mali

*Quam ſint cõ trarij affectus illi qui a cup ditate, quiq; ab ira pre ciſcuntur*

exilium habere, & ei præſertim, cui aqua, & igni interdiceretur, ſed rurſus meditabatur, quod ei difficultates eſſent ſuperandæ, ut id malum euaderet, cum Clodio armis decertandum, primarios uiros de ſe optime meritos gladiis operarum Clodianarum obiiciendos, bellum ciuile excitandum, remp. in extremum diſcrimen adducendam. quæ ne fierent, maluit furori Clodiano cedere, ſponteq; exulare. Ex his liquido conſtat, bonum, malumq; ſic animo apprehẽdi poſſe, ut opinemur uel hoc effugere, uel illud adipiſci perdifficile eſſe, quodammodo ſupra noſtram facultatem ſitum. Quocirca natura ſolertiſſima rerum opifex, non ſolum eam uim, quæ eſt cupiditatis, generi animantium infixit, ſed etiam iraſcibilem adiecit, quæ in id uehemẽtius intendat, a quo appetitus cupiditatis alumnus propter difficultatem auertitur, licet appetitio illa, quæ non a ſenſu, ſed a ratione proficiſcitur, eſtq; ipſius mentis ſiue comes, ſiue aſſecla, ſimplex ſit duntaxat, uoluntaſq; latino nomine appelletur. Vtranq; ſenſiuæ potentiæ uim Poeta quaſi oculis conſpiciendam ſubiicit, ubi conſultat Dido quid ſuis rebus fractis, & acciſis potiſſimum conducat, ſic enim ratiocinatur.

*Vtranq; ſenſiuæ potentiæ uim Maro quaſi oculis ſubijcit.*

En quid agam? rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Numidumq; ſequar ueſtigia ſupplex?
Quos ego ſum totiens iam dedignata maritos.

Se irriſam dolet, de Procorum nuptiis non diffidit, ſed degeneris animi ducit, iis ſupplicare, quos totiens fuerat aſpernata, ideo ad aliud ſe conuertit.

Iliacas igitur claſſes, atq; ultima teucrum

Iuſſa ſequar?

Id primo obtutu arripit ut bonū, ſed ſtatim multiplex ingeritur difficultas, Troianis non confidit,quos ingratos iandudum eſt experta,ſic enim eos per Ironiam inſectatur,

Quianam auxilio iuuat ante leuatos,

Et bene apud memores ueteris ſtat gratia facti.

Ab iis cauendum cēſet qui a prima origine perfidi,periuriq; noſcuntur. Neſcis heu perdita? necdum

Laomedonteæ ſentis periuria gentis?

Illud quoq; in dubium reuocat, ſolane ſequatur Aeneā, an tyrios ſecum adducat.

Quid tum ſola fuga nautas ſectabor ouantes?

An Tyriis,omniq; manu comitata meorum, inſequar?

Indecorū putat, ſi Aphricæ Regina nullo comitatu in alienas terras demigret. At deſperat Tyrios ad nauigandum poſſe induci,qui antea licet odio,metuq; Pygmalionis urgente difficulter mari ſe cōmiſerāt,ideo inquit

Et quos Sydonia uix urbe reuelli,

Rurſus agam pelago?& uentis dare uela iubebo?

Cum omnia difficultatis plena conſpiciat,potius quam hoc,illudue aggrediatur, mori decernit, ſicq; animum offirmat.

Quin morere,ut merita es,ferroq; auerte dolorem.

Supereſt de affectuum ortu & ratione paucis differere. Sunt autem affectus non uni ſed diuerſi,inter ſeq; ſæpe contrarii.etenim cum offertur nobis ſpecies aliqua,quæ nocendi uim habere intelligatur,ex ea afficimur ſtatim metu, incipimuſq; expaueſcere,at cum offertur e con-

*Quæ ſit affectuum diuerſitas,et unde ortum ducant.*



BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

trario ſpecies aliqua utilis iucundiue aſſequendi. excita‐ tur, ibi cum cupiditate ſimul atq; habendi ſtudio ſpes quædam, atq; fiducia boni eius adipiſcendi. quod cum adepti ſumus, gaudium repente enaſcitur, uel illa potius quæ diffuſiori quodam ſignificatu appellatur uoluptas. Aſt ubi formido irrepſerit, ſuſpitioq; boni alicuius amittendi, aut illud iam amiſimus, ibi dolor nos occu‐ pat atq; triſtitia, & ne ſingula exequar, illud in uniuer‐ ſum dictum uolo, res, actioneſq; quaſcunq; noſtras habe re ubiq; ſecum comites, aut uoluptatem, quiq; affectus uoluptuarii ipſi ſunt, aut dolorem, atq; moleſtiã quæq; affectiones graues ſunt, atq; ærumnoſæ, qui duo affectus in actionibus noſtris ita uerſantur, ut eorum alter ſem‐ per comes aſſiſtat, nullumq; humanum inceptum prorſus deſerat, accommodatiſſime ſcribit Tragicus quidam,

Nulla ſors longa eſt, dolor, ac uoluptas

*De quatuor generibus affectuum et ut unumquodq; ab alio differat.*

Inuicem cedunt, breuior uoluptas. Eſt autem affectio ſiue perturbatio (ut definiendo rem exactius explice mus) appetitus uehementior animi concitati, unde ſic uel ſic affici rectum eſſe ducimus. Cum autem om‐ nes turbidi motus aut boni, aut mali opinione citen‐ tur, quatuor perturbationum genera bifariam æque di ſtribuuntur, duo ex duobus opinatis bonis, totidem ex duobus opinatis malis ortum habent. Ex bonis opinatis ſequitur lætitia, & libido. Lætitia eſt uolu‐ ptas geſtiens cum ex opinione magni præſentis boni animus effertur, & effuſe, inſolenterq; exultat. Libido ſiue cupiditas, ſiue ſpes ea ſit appellanda, eſt uehemens

appetitio opinione futuri magni alicuius boni, ad quod
conſequendum appetitus illectus, & inflammatus rapi-
tur. Et ſicut hæc duo genera bonorum opinione exci
tantur, ſic duo reliqua metus, & triſtitia, ſiue ægritu-
do opinione malorum, nam & metus eſt opinio fu-
turi, iamq; aduentantis mali, ægritudo uero eſt demiſ
ſio, & contractio animi ex opinione magni præſentis
atq; urgentis mali, quod intolerabile eſſe uideatur, nam
quæ uenientia metum, eadem inſtantia ægritudinem
afferunt, earumq; rerum abſentium eſt metus, quarum
præſentium eſt ægritudo, quæ duo cogitatione dif-
ferunt, re plerunq; annexa, conſequentiaq; uidentur.
Ideo quidam metum (ut inquit Cicero) præmoleſtiam
appellabant, quod ſit quaſi dux ægritudinis, conſe-
quentiſq; moleſtiæ, quod ſi ſuſtuleris ægritudinem, ſu
blatus erit pariter, & metus. Quælibet autem perturba-
tio proprium aliquid, & peculiare ex ſe gignit, ut ægri
tudo conſternationem & morſum doloris, metus receſ-
ſum quendam animi, & fugam, Lætitia profuſam hi-
laritatem, libido immoderatam appetentiam. Ex his
quatuor perturbationum generibus duo ſpectant ad eā
animi partem, quæ eſt cupiditatis alumna. Lætitia exul
tans, & ægritudo mœrens, reliqua duo ad uim iraſcen-
di, ſcilicet metus turbans, & libido appetens. Sub uno

*Sub unoquoq; horum gene-rum quæ partes continentur.*

quoq; autem horum generū ſpecies plures cōtinent. nā
ſicut uoluptati ſubiiciūtur delectatio, lætitia, gaudiū, hi
laritudo, iucūditas, exultatio, titillatio, alacritas, prōptitu
do, expergiſcentia, feſtinatio, ſedulitas, uigilātia, diligē
tia, ſtudiū, quæq; aliæ affectiōes q̄ q̄ſi ancillæ uoluptati

ſubminiſtrant. Ita parte ex alia dolor has adducit ſe cum, uelut comites, & miniſtras, moleſtiam, triſtitiã, moerorem, ceſſationem, languorem, recuſationem, laſſitudinem, tarditatem, ignauiam, negligentiam, deſidiam, remiſſionem, quæcꝫ cum primis aduerſantur uoluptati. Sub libidine continentur ira, odium, excandeſcentia, inimicitia, ſimultas, deſiderium. Ex metu uero pigritia, pudor, terror, pauor, exanimatio, formido proueniunt. Cũ omnis autem multitudo (ut tradunt Mathematici) ad unitatem redigi poſſit, omnes affectionum partes ad quatuor primas referuntur, quas Boetius ita enumerat. gaudia pelle, pelle timorem, ſpemcꝫ fugato, nec dolor adſit. Turbida mens eſt, uinctacꝫ frenis, hæc ubi regnant. Sed quia tradit Plato ex eadem ueluti radice, uoluptatem, ægritudinemcꝫ oriri, & ex altera, in alteram aditum patere, quicquid enim ſua præſentia iucundum eſt, id ſua abſentia moleſtiam afferat eſt neceſſe. Ideo hi quatuor animi motus in unam affectionẽ coeunt, uidelicet Amorem, quæ eſt quædam naturæ inclinatio ex apprehenſione boni, iucundicꝫ. Quapropter idem Plato putat amorem cunctarum affectionum eſſe fontem, & originem, qui ad omnes cupiditatum æſtus genus humanũ inflammat, unde illa Maronis exclamatio.

*Omnes animi affectiones ad unum tantum genus redigi poſſe.*

Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?

Et rurſus ea ueluti communi gentium decreto approbata ſententia.

Omnia uincit amor, & nos cedamus amori.

*Vnde cauſam principiumcꝫ habeant animi perturbationes.*

Affectuum autem cauſã, principiũcꝫ alii ex alio trahũt. Aſtronomi ex ui quadam, poteſtatecꝫ ſtellarum ſenſus

mutari putant,ut a Saturno metus,a Ioue lætitia proue-
niat,ſic iram Marti,audaciam Soli,cupiditatem Veneri
aſcribunt,atq; alia aliis. Illudq; eſt cõmune facinoroſo-
rum omnium patrocinium (quod tamen plerũq; a ſapi
entibus aſſeritur) Neminem peccare niſi fato, & ipſa
ſcelera mortalium ſideribus imputanda. Contra autem
Deorũ munera,eſſe uirtutes. Vnde .M. Manilius poeta
æque inſignis atq; Aſtronomus, nõ ſolũ hominũ fortu
nas,uerum etiam mores atq; uitia Cœlo aſcribit,huius hi
ſunt uerſus.

Naſcentes morimur,finiſq; ab origine pendet,
Tunc & opes,& regna fluunt,& ſæpius orta
Paupertas, arteſq; datæ,moreſq; creati,
Et uitia, & clades.

Pleriq; id totum ad corporis habitudinẽ,qualitatẽq; re-
ferunt,ut qui abũdant puro,& defecatiori ſanguine, ſint
ad lætitiã procliues,ut Philoſophus ille, qui perpetuo
cachinno rumpebatur. Qui aquoſo, & pituitoſo ad ti
morẽ,ut Decimus Brutus, qui Octauii metu fœdiſſimis
latebris omnem uitæ decorẽ coinquinauit. At qui acu
to,& feruenti ad irã,ut Alaricus Gotthorũ Rex,qui ex
Stiliconis perfidia ira percitus,urbẽ Romã incẽdio, rui
niſq; deformauit. Qui uero atra bili,ad mœrorẽ, ut .P.
Rutilius,qui fratris repulſam cõſulatus tam ægre tulit,
ut ob eam cauſam e uita deceſſerit. Et certe magna eſt
uis ad habitũ mentis ex iis,quæ in corpore gignuntur.
multa in eo exiſtũt,quæ acuũt mentẽ,multa quæ obtũ
dunt,ut illi tardiori ſint ingenio,qbus (ut inquit poeta)
Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.

Omnes uero melancholici(ſi quid Ariſtoteli credimus) ingenioſi. Parū autē intereſt hoc, illudue ſentiamus, dū modo cōſtet nō agere Aſtra primo, & per ſe in animā, ſed in corpus ipſum, ad cuius īmutationē animi quodā modo uidentur īmutari. Cū magni referat quo receptaculo, & quaſi diuerſorio animus utatur. hinc illud Platonis, Animi inſequūtur corpora, quod ita accipi uolo, id nō naturali neceſſitate, ſed inclinatione quadā fieri, ut corpus ſubſit animæ, tanq̄ instrumentū artifici. aliter autē operat̄ faber ferramēto trigono q̄ quadrato, & aliter ſcalpello obtuſo quā acuto, hinc illud ex ſacris literis, corpus quod corrumpit̄, aggrauat animā. Tertiū quippiam ſenſit Lucretius poeta ualde bonus, ſed qui Epicuri ſordibus muſarum ornamenta dehoneſtauit, hic ex uaria, diuerſaq; ui, & natura Atomorum, has in animo affectiones imprimi opinatur gigniq;,

*Aſtra agere in animam nō niſi per accidens.*

*Ridicula de animi affectibus Lucretii opinio.*

Naturas hominum uarias, moreſq; ſequaces.

Indeq; euenire, ut

Procliuis hic iras decurrat ad acres.

Ille metu citius tentetur, at ille,

Tertius accipiat quædam clementius æquo.

*Motus animi aliter in brutis, aliter in hominibus ſeſe habere.*

Inſunt etiā brutis eiuſmodi motus naturales ab hominibus nō longe diuerſi, ut audacia Leoni, ira Tigridi, timor Damæ, auaritia Cornici, & ſingula ſingulis. Sed in brutis omnes eiuſmodi motiones bonæ ſunt, & cōmendandæ, cū eorū naturæ probe cōgruant, in hiſq; duntaxat Epicuri ſententia locū habet, licet q̄nq; ea damnemus quatenus uel cupiditati noſtræ aduerſentur, uel inferant nocumenta. At in homine res aliter ſe habet, nā cū animū ſo

lo moueri appetitu oſtenderimus,appetitũ autẽ eſſe du plicẽ,alterũ, q ſolis ſenſibus excitaṫ, rationiq; minime obtẽperat,alterũ qui ĩperio rationis duciṫ. At ratio ubi animũ ab effrenata cupiditatũ tyrannide,ſeruituteq; eri puit,tũc nos omnibus procellis,tẽpeſtatibuſq; ſuperatis in tutũ,ac tranquillũ quietis portũ reducit. Sed ubi ſen/ ſuũ perturbatio inualeſcit, excuſſo rationis freno,appe titũ ſuis illecebris ita corripit,ut malit in ſeruitute uolu ptuoſe degere,quã in libertate ſecure,ac moderate uiue re,Tũc ueluti tenebris inuoluti,nec rõnis luce illuſtrati,
Excutimur curſu,& cæcis erramus in undis.
Nã qui mare ingreſſus in uehementiores fluctus incide/ rit,nõ quo uolet,ſed quo ingruentiũ uentorũ flatus im pulerit,nauigare cogitur,uel inuitus. Hactenus de ortu, rationeq; affectuũ ex cõmuni philoſophorũ ſchola diſ ſeruimus. Si quis autẽ acutius intueaṫ,duplicem inueniet eorũ origınẽ,& utrãq; ex opinione profectã. Alterã hu milẽ,& degenerẽ,& nobis fere cũ beluis cõmunẽ, alterã præclarã,& generoſam ex aculeo, & impreſſione ipſius uirtutis emanantẽ. Sicut.n.ad cõprehenſionẽ ſenſuũ ſe quunṫ quidã motus, qbus incitamur ad aliqd ſectãdũ, fugiẽdũue,ita ex ipſius mẽtis exagitatione quædã obo ritur rationis affectio. Deinde uolũtas quæ quaſi media eſt inter mẽtis cognitionẽ,& ſenſuũ,eã affectionẽ in cor pus ipſum trãſfundit. Sic.n.ratio uolũtate itemũcia im perat mẽbris ĩferioribus,mouetq; illa. Et quãtũ ad hoc, eſt quædã colligatio ſenſus ad rationẽ,& cõtra,ut uiciſ ſim actus unius redundet in alterũ. Quẽadmodũ ſi qs( exẽpli gra)rõne decernat diuinũ cultũ rebus oĩbus eſſe

*De his affe- ctibus qui nõ a ſenſibus ſed a ratione ori- ginem ducunt.*

præferendum,deinde per uoluntatem imperat ſenſibus, ut colēdo cœleſti numine oblectētur, lætitiaq; exultēt. Hac ferebatur illibata Virgo uoluptate,cum cecinit, Et exultauit ſpiritus meus in deo ſalutari meo. Hæc eſt ſumma, abſolutaq; uirtutis perfectio in affectus quoq; commigrare, ſicut uitiorum ex intimo ſenſu placere, hominemq; quadam corporis titillatione delectare. Hinc bonorum uehemens illud aduerſus noxas, flagitiaq;, odium, hinc illa contra impios inſultatio.

Diſcite iuſtitiam moniti,& non temnere diuos.

Et de impiis,ac ſacrilegis ulciſcendi cupiditas,hinc tam effuſa de honeſtis actionibus exhilaratio. His ille affectibus ducebatur qui dixit. Domine ante te omne deſiderium meum.& rurſus. Oculi mei ſemper ad dominum. Hæc eſt illa ad rem diuinam ſuauitas, & uoluptas, de qua in canticis Salomon. Trahe me poſt te,curramus in odorem unguentorum tuorum. Has Paulus uocat ſpiritales paſſiones, ſuperioris illas animales, illæ uerſantur circa utile & iucundum, hæ circa honeſtum, illæ commodi, uel uoluptatis, hæ iuſti rationem habent. Cum autem omne bonum eo ſit perfectius, quo ad plura diffunditur,perſpicuum eſt ex animi affectibus non parum incrementi uirtuti accedere. Quis enim ambigat eum maiori laude dignum? qui non ſolum uoluntate, ſed etiam appetitu ad bene agendum inclinatur? Quod non obticuit Propheta,Cor inquit, & caro mea exultauerunt in deum meū. idem uidetur ſenſiſſe Auguſtinus, cum affirmat miſericordiam ad uirtutem attinere. Tradunt etiam peripatetici uerecūdiam in adoleſcente eſſe

*Ex affectionibus uirtutes augeri.*

affectionem commendandam,unde illud comicum. Erubuit,ſalua res eſt. Hæc de animi paſſionibus in uniuerſum tradidimus. pingui (ut dicitur) minerua,& ſine ullis laqueis, captionibuſue dialecticis,quæ in tanto iam habentur pretio, ut qui ea ignorat,uulgo non ſatis excultus doctrina putetur. Nunc ſeorſum, & ſigillatim de duobus affectibus, metu,& fiducia, inter quas fortitudo eſt media,paucis diſſeremus. Et ne ambiguitate fallamur, uerba hæc, ira, timor, audacia,libido,& id genus, quandoq; motus naturales indicant, qui cum arbitrarii non ſint,nec laudi,nec uitio dantur, quãdoq; alio quodam ſignificatu declinationem,& egreſſum a uirtutis ſemita deſignant, quo ſenſu uitiorum nomina ſunt. Nos (ut res poſtulabit) modo hac, modo illa notione utemur. Metus futura conſpicit, ideo ueteres definierunt, timorem eſſe expectationem mali. Et licet omnis paſſio ſit in ſenſuum appetitu,ſenſus autem apprehendere futura nequeant, ui tamen quadam, impulſuq; naturæ ex iis quæ præſentia ſenſu apprehendimus,ad futura uel appetenda uel metuenda mouemur. Solus autẽ amor ſi rem exacte ſcrutari uolumus,timorem parit. cũ non aliunde gignatur timor, quam ne id cuius amore ducimur,aut adeptum amittamus, aut non adipiſcamur ſperatum. Recte itaq;, & naturaliter quæcunq; nocendi uim habent,timemus. Et quanq̃ fortaſſe mala non ſunt, ipſa tamen opinione formidantur. Sed ita ſi & propinqua ſint, & appareat aliqua euadendi ſpes. Ideo mortem licet ſemper imminentem non admodũ timemus niſi cum morbus, uel maior imbecillitas aduenit,

*Nomina perturbationũ habere duplex ſignificatum.*

*De metu,et unde cauſam ortumq; habeat.*

F

turſus cum omnis uiuendi ſpes fuerit adempta, ceſſat timor, timemus enim

Dum curæ ambiguæ, dum ſpes incerta futuri.

Et mœror triſtitiaq; ſuccedit, nam quæ metuimus uentura, eorum aduentu triſtamur. Nec tamen omniū, quæ in malis ducimus, eadem eſt timendi ratio, alia quippe, honeſtum eſt metuere, & non metuere turpe ac flagitioſum. Quid. n. eſt improbius? uel (ut inquit diuus Paulus) crudelius, quam infamiam non timere? quid immanius, quam filio grauius ægrotanti, aut in acie manū cum hoſte cōferenti nō metuere? Vide ut Aeneas felix ille quidem, non quod ab eo genus prodierit latinum, ſed ea ratione qua felix habitus eſt Achilles, ad cuius tumulum cū Alexander in Sigæo aſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ uirtutis Homerum preconē inueneris. Ille, inquam, Aeneas aduerſus omnes & gladios, & dolos Argiuorum imperterritus, ex periculo patri filioq; imminente, in muliebrem fere pauorē incidit, inquiens.

*Timorē quandoq; eſſe honeſtum, quādoq; turpem.*

Et me quem dudum non ulla iniecta mouebant
Tela, nec aduerſo glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum, & pariter comitiq;, oneriq; timentem.

Qui hæc timet potius cautus, benignus, & miſericors quā meticuloſus eſt appellādus, ea uero nō timere uidetur magis ſtolidi, & immanis hominis quā ſenſu, rationeq; bene utētis, Adeo ut metū oī ex parte abiicere maxime uitio ſit dandū, cū timor plerūq; ad uirtutem aditum faciat. quid enim aliud ſibi uult? principiū ſapientiæ timor domini, & quod Paulus Philippenſes admo-

net,ut cũ metu,& tremore ſalutẽ operentur. Hos autẽ timoris,formidiniſq; damnamus,qui habent molliciẽ quãdam,animiq; torporem,quiq; periculis,atq; aduerſis repente oblatis,ita conſternantur ut prope uideãtur attoniti. Mox enim eos inuadit conturbatio, eiuſq; comes exanimatio, ut nullus eis præſidii conſiliiq; locus relinquatur,de his ſcribit poeta.

*Qui timor ſit damnandus,et fugiendus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Degeneres animos timor arguit.

Ii in doloribus præcipue cernuntur,quã ſint eneruati,& demiſſi,utq; nihil durũ tolerare poſſint,ſtatimq; concidant fœmineum in modũ, fiantq; totius rationis expertes. Ideo in fabulis dicitur Hecube in canem uerſa, & Niobe in lapidem,& utraq; ob luctum,atq; mœrorem. eſt autem meticuloſorum uaria conſuetudo, ratioq; diuerſa,iſti in eo peccant quod metuenda,& non metuenda iuxta pauent,& ut inquit Poeta,

*Varias timoris eſſe ſpecies*

Omnia tuta timent.

Tantaq; adeo mollicie ſoluuntur,ut ne apis quidem aculeum(quod ſcribit Cicero)ſint laturi abſq; ſummis clamoribus. Alii cum anguſti, puſilliq; ſint animi, ea tamen loquuntur,& agunt,ut fortes haberi uelint. Alii uero quanquam grauibus in rebus atq; periculoſis ea metuunt, quæ fortaſſe metui oportet, timent tamen, aut non perinde ut oportet, aut ubi minime eſt opus, & a medio, menſuraq; ita recedunt, ut pene uideantur exanimes, fœdiſſimaſq; pauoris latebras quærere. Quoſdam etiam ipſa præmeditatio terret, metus autem ubi uehementius turbarit animum, omne conſilium eripit, mentemq; labefactat, ut tunc timeamus

cum nulla ſit timoris cauſa. Licet aliquando animus ipſe futurorum præſcius uentura mala præſagiat, qui cũ ignoret quid timeat, timet tamen, ut de Mezentio.

Agnouit longe gemitum præſaga mali mens.

Quemadmodum neſcio qua ſuperiore ui, eademq; cœleſti, aliquando animus ad maxima quæq; audẽda compellitur, ut de Niſo tradit poeta.

Dii ne hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? an ſua cuiq; deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iandudum inuadere magnum
Mens agitat, nec enim placida contenta quiete eſt.

At meticuloſi eo quãdoq; impelluntur, ut mori uelint, non quod pulchrum id iudicent, ſed ut aduerſa defugiant. molliſſimi enim eſt, & imbecillis animi, quæ ingruunt mala, & pericula, uoluntaria morte deuitare. Cum & ob id ipſum adeo grauiter apud ĩferos mulctẽt ut;

Vellent æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Sunt autem quædam uelut indifferentia, quæ quoad rationem morum, non admodum refert, timeantur nec ne, nam qui proſcriptiones, inopiam, orbitatem, repulſas, atq; id genus uerentur, non omnino uituperari ſolent. Et tamen inuenti ſunt, qui paupertatem non curarunt, qui in exilio ſponte uixerunt, qui filiorũ obitũ æquiſſimo aĩo tulere, qui magiſtratũ gerere contempſere, ob hoc ipſum beatiores, quod priuatum ocium publicis negociis prætulerunt. Haſtenus de timore, nunc de audacia. Scimus eam eſſe rationem contrariorum, ut inter ſe longiſſime diſtent, nihil autem eſt a timido ſemotius

*De audacia quæ opponitur timori et quantũ diſtet a fortitudine.*

quam audax, Audacia igitur metui aduerſatur, ut contrarium & maxime ſeiunctum. Cæterum ut male naturaliter metuimus, & quia metuimus, declinamus, ita bona expetimus, excitamurq; aggrediendis illis, quibus ut bonis nos potituros confidimus. Et ut quædam honeſtum eſt timere, ſic in quibuſdam confidere turpe. Eſt autem audacis ante quam periculum adeat, & in aggreſſionis principio, ſupraquam ſatis eſt confidere cum nullum periculorum delectum, nec in re gerẽda quicquam penſi habeat, magiſq; temeritate, & impetu rapiatur, quã certo animi iudicio. Itaq; ſeſe periculis obiectat, ut uix ſentiat quid petat, quidue ſuſcipiat, ideo uidetur ab initio habere quippiam forti ſimile, & illius animum præ ſe ferre, cum tanquam adumbratam fortitudinis perſonam gerat. Audaces igitur plurimũ ſibi arrogant, ſuntq; uẽtoſi ac tumidi, quos adamuſſim in certamine pugilum delineauit Maro.

Talis prima Dares caput altum in prælia tollit,
Oſtenditq; humeros latos, alternaq; iactat
Brachia protendens, & uerberat ictibus auras.

Eſt autem audaciſſimus quiſq; elata, inſolentiq; oratione atq; ut ſeipſum iactat, extollitq;, ſic alienæ laudis eſt detractor, & tanquam contemptor. Vide quam de ſe magnifice, quamq; de Aenea contum elioſe dicat.

Hac ego Dardanium dextra ſub tartara mittam,
Deſertorem Aſiæ, ſedeant, ſpectentq; latini.
Et ſolus ferro crimen commune refellam.

At ubi in mediũ periculum deuenere, ut parũ firmis uiribus, impareſq; incoepto ſuccumbunt, nã mox intimi

*Audacis eſt temere pericula adire, mox deficere et languere.*

tatem incidunt,deinde magis,magiſq; deficiunt, donec omnino concidant animis,uideanturq; ipſis timidis imbeciliores. Vt Turnus ille qui paulo ante tam ferociter uerbis inſultabat, ubi ad cominus pugnandum inuitatur ab Aenea.

Verte omnes tete in facies,& contrahe quicquid
Siue animis,ſiue arte uales,

Vt totus formidat,ut totus cõturbatur, ac perhorreſcit, tanquã depræhenſus,nec animo, nec corpore ſubſiſtit.

Cunctaturq; metu,telumq; inſtare tremiſcit,
Nec qua ſe eripiat,nec qua ui tendat in hoſtem,
Nec currus uſquam uidet,aurigamq; ſororem.

Vir autem fortis nihil ſibi arrogat,nihil habet tumidũ, nihil inſolens,nihil inflatum,& ſi quandoq; in mentionẽ rerum a ſe geſtarum inciderit, moderate hunc in modũ loquitur.

*De ira et quæ ſit eius definitio ex quibuſue affectibus gignatur.*

Et nos tela pater,ferrumq; haud debile dextra
Spargimus,& noſtro ſequitur de uulnere ſanguis.

Hæc de timore,deq; audacia dicta ſufficiant, iam ſeries ipſa poſtulat ut de ira diſſeramus,quam Maro comitem fortitudini ſic adiungit. Neq; terga ira dare, aut uirtus patitur, & rurſus

Conferre manum pudor,iraq; monſtrat.

De hac paulo latius agemus, cum nullus animi affectus ſit concitatior,& manifeſtior, de eoq; philoſophi ſententiis diuerſiſſimis colluctentur. Nos media incedemus uia,inter Ariſtotelẽ,quæ irã calcar uirtutum appellat,tantũq; ei attribuit ut neget quicquã ſplendidi fieri poſſe,niſi prius ira animũ impleat,& ſpiritus accẽdat.

Et Senecam ſtoicorum (ut ſentit Lactãtius) rigidiſſimũ, qui iram opinatur non eſſe ſecundũ hominem, neq; naturalem, tantumq; abeſſe, ut conferat ad animi magnitudinem ut uitium ſit muliebre, nec modo poſſe radicitus euelli, ſed etiam eam excludere, quam regere eſſe facilius. Et ut ex noſtro inſtituto a definitione incipiamus, Ira eſt accenſio ſanguinis circa cor, cupiditate puniendi eius, a quo iniuria te læſum exiſtimas, quæ ex duobus affectibus gignitur, ſpe, & mœrore. Nam iratus ægre fert ſibi illatam iniuriam, lætatur ex uindicta quam animo concipit, ulciſci enim ſperat & par pari referre, ut cum Aeneas ad ulciſcendos euerſæ urbis cineres ſe ita excitat. ſumpſiſſe merentis

Laudabor pœnas, animumq; expleſſe iuuabit.

Scitum eſt illud Homeri. Ira ſtillãte melle dulcior in animis uirorũ creſcit. Cuius finis eſt ultio, nam ubi quis ſuo arbitratu ultus eſt, irã abiicit, ut non inſulſe a neſcio quo philoſopho, Ira dicatur uictoriæ conciliatrix. Ira aliter etiã definiri poteſt, ut ſit concitatus appetitus ea tollẽdi quæ noſtris actionibus ingerunt difficultatem. nec enim ſoli homini iumentoq; iraſcimur, ſed & aleator teſſeris, & ſcriba calamo, & pictor penicillo, & quiſq; artifex inſtrumẽto minus idoneo ſuccẽſet, illudq; plerũq; atterit, & confringit. Ineſt autẽ ira in ea parte animæ, quã iraſcibilẽ uulgato uerbo pauloante nominauimus. Quæ iccirco nomen ab ira ſibi ſumpſit, uel quod oẽs illius partis affectiones ad irã quodãmodo referant, uel quod illa ſit paſſio omniũ notiſſima, cuius exceſſũ iracundiã noiamus, quæ mãſuetudini uidet opponi. Ex frequẽti.n.ira

*Pars animæ iraſcibilis cur ſic appellatur.*

ſæpiuſq; repetita, gignitur quaſi quædam ad iraſcendum procliuitas, cum quis ex nulla, uel leuiſſima cauſa concitatur, Sed ira attribuitur naturæ, iracundia uitio. Vnde iratus, & iracundus, quorum alterū eſt ex cauſa, alterum ex moribus. Medici affirmant ex frequenti excandeſcentiæ uſu, fel in homine augeri. rurſus ex fellis extenſione, hominē fieri iracundiorem, & prope nullis de cauſis iraſci. Ideo dicimus eum iacere in fermento, qui aſſidue iracundia tumet. Hic affectus homini a natura neceſſario eſt datus, ratione tamen ſicut reliqui moderandus, Et ut Stoicos delirantes, & Senecam obiurgantem omittamus, ira ratione molliri poteſt, eradicari non poteſt, cum animus ſuarum affectionum ſit non extinctor, ſed moderator, ut qui eas perimere nequeat, mitigare queat. Nec ille eſt laudandus qui iraſcitur nunquā, alioquin & trunci, & ſtipites laudentur. Sed qui ratione ſe compeſcit, indignationem cohibet, a puniendo, animum reuocat. Non minoris enim laudis eſt temperare iracundiam, & forte maioris, quā animo non commoueri, cum illud ſit uirtutis hoc naturæ. Sed nec uetat Propheta nos iraſci, immo iubet. Iraſcimini, inquit, & nolite peccare. ubi concedit quod eſt naturæ, prohibet quod culpæ. Sic Paulus Epheſiis ſcribit, non cadat in uos Iracundia, ſed non occidat ſol ſuper iracundiam ueſtrā. Nam ſicut pati non ubiq; laudi, ſic iraſci non ſemper uitio datur, tamq; in culpa eſt, qui nimis iraſcitur, quam qui omnino non iraſcitur. Siquidē non iraſci ubi oportet, eſt improbe factum nolle emendare, plus uero iraſci quā oporteat, peccatum peccato cumulare.

*Iram a natura homini neceſſario eſſe datam, nec extirpari poſſe.*

*Vt nimiū iraſci uitio datur, ita nunquam iraſci.*

Sunt quidam adeo ſegnes,& remiſſi,ut nulla iniuria, nul laue contumelia excitari poſſint,quos ſic arguit poeta.

Quis metus o nunquam dolituri,o ſemper inertes
Tyrrheni?quæ tanta animis ignauia uenit?

Alii uero nō humano more iraſcūtur,ſed ex paruo momento,furore ardent,animo ad ultionem incenſo,ac inflammato,qui in rabiem,& ulciſcendi libidinem ita excandeſcunt,ut non multum abſint ab amentia (affectionem enim lumine mentis carentem amentiam appellamus)nihil aduertentes quouſq;, quoue modo ſit puniendum,quicquid impetus ſuggerit rectum putant,& (ut inquit poeta)

Furor arma miniſtrat. & alibi
Rimanti telum ira facit.

Abutriſq; abeſt ira opportuna,& moderata,nec eſt quærendū an qs iraſcat̃ ſed quare iraſcit̃, ſicut quo ad rationē moris, nō multū refert,an qs ſit triſtis, ſed quare,nec an timeat, ſed qd timeat. Iraſci ſceleſto,mœrere ex bonorū oppreſſione,timere periclitāti,eſt & officii,& pietatis, at ſcelerum atrocitate,& facinoribus non cōmoueri,nequitiæ potius quam modeſtiæ aſcribitur. Nec quicquam cōſultius agimus quam cum,& noſtris,& aliorum erroribus ſuccenſemus.tibi enim non iraſci cū peccaueris,maius eſt crimen quam illud ipſum quod peccaueras.& ut iraſci ubi non oportet,eſt intemperati,ita nō iraſci ubi eſt opus,impudentis. Nec enim ſolum,ut eſt apud Laberium *Opportuna & moderata ira quantopere ſit laudanda.*

Furor fit læſa ſæpe patientia.

Sed patientia plærunq; uitia ſerit,negligentiam alit, ad

peccandum inuitat. Nulla reſp. ſine aliqua iræ acerbitate commode regi poteſt, immo nec paterfamilias ſuam domum ſine aculeis iracundiæ moderari, qua etiam ſi careat, ſimulanda eſt, ut familia in officio contineatur. Prohibenda eſt tãmen nimia excandeſcentia, & tanquã immanis belua uinculis, & cathenis frenanda, & intra metas, & cancellos rationis cohibenda. Nam ut cauendum eſt ne metu fracti quod rectum eſt deſeramus, ita etiam nos conuenit turbulentiſſimos iracundiæ, indignationiſque motus temperare, quod ſtudioſe admonet Paulus, inquiens. Sit omnis homo uelox ad audiendum, & tardus ad iram. Alioquin nullum uitium, neque atrocius, neque deteſtabilius hominẽ euertit, cætera enim animũ ĩpellunt. Furor, iraque mentem præcipitant, ut inquit poeta. Hinc natum eſt illud Platonis, nihil eſſe tam contrarium reip. quam ſit iræ commotio, & impetus furoris, qui & uſum rationis adimit, & conſultationem tollit, nam (ut uulgo dici ſolet) ira conſilium non habet. Veriſſimeque Bias Prienenſis dicere eſt ſolitus, duo maxime conſilio aduerſari celeritatem, & iram. Cum iracundus ignorantiæ tenebris inuolutus, luceque ueritatis amiſſa, quid, & quo ordine ſit agendum ignoret omnino, & uelut inſanus raptetur, quantum enim ab inſano diſtat qui ne actionis quidem ſuæ conſcius eſt, tantumque abeſt, ut ira ſi fuerit effrenis, & immoderata fortitudinis opera iuuet, ut ea nihil magis fortibus conatibus aduerſetur. Interemptis Turnus cuſtodibus hoſtilem urbem irruperat,

Et ſi continuo uictorem ea cura ſubiſſet

*Vehementior iracundia quã ſit pernicioſa et deteſtanda.*

*Iram immoderatam nocere potius, quam prodeſſe fortitudini.*

Rumpere clauſtra manu,ſocioſq; immittere portis,
Vltimus ille dẽs bello,gentiq; fuiſſet.

Sed ira quæ mentem atq; conſilium , rationem deniq; omnem a uero,rectoq; detorquet , eum præcipitem ad cædem,& occiſionem rapuit,& ut eſt apud eundem

Sed furor ardentem,cædiſq; inſana cupido
Egit in aduerſos.

Nec eſt admodum in iis ratio quærenda qui ſemel de uia præcipites ire cœperint . Ideo ueteres dixerunt eos qui effrenati feruntur aut libidine aut iracundia(quamuis ipſa iracundia libidinis ſit pars)ex poteſtate exiiſſe. Nam ſicut pupillus adultus exit ex poteſtate tutoris, & filiusfamilias patris , ſic ii dicuntur exiiſſe ex poteſtate qui non ſunt in poteſtate rationis cui totius animi imperium a natura eſt tributum , cum uehementiori ira percitus uim omnem rationis amittat , & in id raptetur quod Solomon attribuit impietati , inquiens totam iram ſuam profert impius . Quæ furori eſt adeo proxima , ut poeta alterum pro altero frequenter uſurpet ut eſt illud .

Sine me hunc furere ante furorem. & item illud.
Heu furiis incenſa feror

In quo toto genere illud eſt perniciofiſſimũ,quod qſq; iratus cauſam ſuam probat,nec ulli ira ſua uidetur iniuſta,unde fit,ut dum ad alienũ peccatũ coercendũ feſtinat,in grauius ipſe ĩcurrat, cũ præ animi cæcitate ſæpe innocẽtes ad crimen adducat, & quos caſtigãdos aſſum pſerat,opprimat potius quã caſtiget,ſub iuſtæq; ultiõis

*Præcepta quædam ad temperandam nimiã iracundiam.*

ſpecie immanitate graſſetur. Iccirco non inutile arbitror uiam aperire, qua iram cohibere, & moderatricę ratione temperare poſſimus, nec credibile eſt generi humano naturam tam infenſam fuiſſe, ut cum corporibus tot res ſalutares adhibuiſſet, animis nullam inuenerit. Prima autem & prope unica cautio eſt, ne hæc peſtis in actionibus noſtris quicquam iuris ſibi uendicet, ut nihil prius agamus irati, quam concitatus animus ad tranquillitatem redierit, cũ huic affectioni hæc ſit natura, ut dilata langueſcat, prolata uero magis, magiſq; cõflagret. Ideo optimum eſt, ut tradit Plato, aduerſus iram remedium, dilatio quoad eius furor deferbuerit. Et alioquin aduerſus iram, cæteraſq; libidines, & omnem deniq; animi ægritudinem, magnum nobis a natura datum eſt auxilium, quod affert longinquitas, & dies. Quam me delectat illud Architæ Tarentini qui cum uillico factus eſſet iratior, quo te modo, inquit, accepiſſem, niſi iratus eſſem. Quotus enim quiſq; eſt, qui non per iram agat aliquid pœnitendum, dicatue? unde fit ut quicquid iratus in alium iniuſte committit, deferueſcente ira, iuſte pœnas a ſe ipſo exigat, ut Alexander qui cum per iram interemiſſet Clitum familiarem ſuum, uix a ſe manus abſtinuit. Hoc uoluit prohibere Apoſtolus, inquiens non uoſmet ipſos uindicetis, ſed date locum iræ. Illud igitur Athenodori Tharſenſis in intimo eſt pectore inſculpendum, qui impetrato ab Auguſto commeatu, iamq; receſſurus his eum uerbis eſt allocutus. Cum ira Cæſar te cæperit, nihil prius neq; dixeris, neq; feceris quã quatuor, & uiginti elementa literarum græcarum, tecum ip

ſe percurreris,& memoriter recenſueris. Aliud eſt efficax medicamentum ut ſicut Rex Thelephus ab Achille a quo fuerat lethaliter uulneratus,uulneris remediũ accepit,ita nobis ab ira, qua ſumus ſaucii, omnis aduerſus iram medicina eſt petenda,nam ut clauus clauum,ita ira iram trudit. Vis aduerſus alios cohibere iracundiam? tibi ipſi quod in ira ſis nimis procliuis, frequẽter iraſcere. Tunc enim aliis iraſci deſines,cum tibi ſuccenſere incipies. Nec ullum eſt maius alimentũ iracundiæ, quã ſibi ipſi blandiri,& patrociniũ ſuæ excandeſcentiæ quærere, ſicut nullũ eſt ad irã,cæteraſq; animi perturbationes ſedandas præſentius remediũ,quã cogitare omnes concitatiores motus opinabiles eſſe,& ob eã rẽ ſuſcipi, quod nos ita eſſe affectos rectum eſſe iudicemus. Nã illud nõ ſatis tutũ reor quod primũ nõnulli putant, in ira uocẽ cohibere,ſilentiũq; ſibi indicere. quid enim prodeſt in abdito & uelut tacite ſtomachari,ac ſuo furori quodam modo latebras quærere,cũ plerũq; illud uirus intra præcordia cõcluſum uehementius æſtuet,quod ſi foras erũpet,paulatim diſſipabitur, atq; euaneſcet, omnis enim eiuſmodi perturbatio animi placatione abluit. Illud potius approbauerim,unũquẽq; cum maxime excãdeſcit, ſeipſum uelut in chryſtallo,ſpeculariue lapide ĩtueri,ut labia tumeant,dentes crepent,lingua hæreat, & ſi uerba fundit,quid tamen loquatur ignoret,facies igneſcat,ſcintillent oculi,toto deniq; corpore,animoq; intumeſcat, qualem expreſſerit poeta.

*Efficax remedium contra iram.*

*Non prodeſt homini irato cohibere uocẽ*

His agitur furiis,totoq; ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt,oculis micat acribus ignis

Dentibus infrendens.

Ira pulcherrima ora, decorę́q; omnē dehoneſtans, hominem uelut Proteum aliquem immutat, ut uix a notis, domeſticiſq; noſci queat, nec fortaſſe a ſeipſo ut ei dicere liceat quod Plautino Soſiæ. Vbi ego perii? ubi immutatus ſum? ubi formam perdidi? Qualem autem eſſe putas illius animum? cuius imago tam fœda eſt. Iccirco iuxta Socratis documentum, qui etiam ſpeculo ad diſciplinam morum utebatur, nihil æque huic morbo leuando prodeſt, quam in ſpeculo tandiu oculos infigere, quoad oris deformitate offenſus, iracundiam omnem abiiciat. Nec parum ad hunc morbum leuandū habet firmitatis ab eo cui ſuccenſueris procul abeſſe, nam ut ſi ligna de igne ſuſtuleris, flamma imminuta breui extinguitur, ita eo ſemoto in quem debacchabaris, mox efferueſcentis animi langueſcit impetus, qui eſt ſedandus non ſolū moderationis cauſa, ſed etiā ualetudinis. nanq; ira ut hominem ab omni cōſilio, menteq; deturbat, ita bona ualetudine ſpoliat, eſtq; cōmunis animi, corporiſq; contagio, nec plures gladius quam ira occidit. Cum ſint plæriq; huic peſti tantopere obnoxii, ut tunc maxime iraſcantur, cum iraſci deſinunt, dolent enim ſublatā ſibi iraſcendi cauſam. Sicut ille qui familiarē morigerū, & ad nutum omnia loquentem, ſic obiurgauit, dic aduerſus me aliquid, ut duo eſſe uideamur. Hoc genus hominū fugiendū præclare docet Solomon, noli eſſe, inquit, amicus homini iracundo, neq; ambulare cum uiro furioſo, & paulopoſt. Impetum concitati ſpiritus ferre quis poterit? Eo tendit illud Symbolū Pythagoræ, ignem

*Alia remedia ad hunc morbum leuādum.*

*Nimis iracundos eſſe euitandos.*

gladio ne fodias,ideſt,iracundũ,& tumentẽ animum ne laceſſas,uel ſi laceſſiueris,placa. Quod Neſtor Agamẽnoni ſapienter ſuadet,

Magnanimum cui corda tument,placemus Achillem,
Supplicibus donis,& amicæ uocis honore.

Tres ſunt præcipue affectiones,ira,timor,cupiditas,quæ ſi rationis freno non cohibeantur,hominẽ præcipitant. Ideo poetæ tres furias eſſe finxerunt,quæ animũ illecebris capiunt,ſtimulis agitant, anxietate premunt. De his extant Claudiani uerſus non minus memoratu digni, quam Philoſophorum decreta.

*Tres affectiones ſi nõ cohibeantur plurimum obeſſe.*

Si metuis, ſi praua cupis, ſi duceris ira,
Seruitii patiere iugum, tolerabis iniquas
Interius leges, tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex eſſe tui.

Sed iracũdia in pĩcipe eſt maxime deteſtabilis,ꝓpterea quod ab ea facilis eſt ad crudelitatẽ ꝓlapſus, eſtq; uelut fulmẽ ubi cũ poteſtate iungit̃. Ideo prudẽter idẽ Poeta.

Diis proximus ille, Quem ratio, non ira mouet.

Talem te Iuli Clemens experimur, qui cum diuinum ſimul & humanum,non minus re, quam uerbo repræſentes imperium,ita omnes iracundiæ aculeos acie rationis obtundis, ut omnia conſilio, prudentiaq; modereris, Pindari uerſuum memor.

*Benignitas, Prudentiaq; ſummi Pontificis.*

Viues uitam optimam, ſi iræ imperes,
Ira enim multa facere cogit mala.

Quam latus hic mihi aperitur tuarum laudum campus, cuius ingreſſu abſtineo, ne quod aliquotiens expertus ſum,in laude etiam ueriſſima modeſtiam tuam offendã.

Et ut cœptum orationis curſum ſequar, duo reſtant explicanda, alterū ira ne (quod Peripatetici uolunt) ſit cū ratione, cum nullus affectus magis rationis uſum euertat, alterum (quod omnes tradunt) an ira inueterata odiū ſit. Licet ratio quantum ad ſuas ipſius actiones non utatur organo corporeo, utitur tamē quibuſdam uiribus ſenſuum quæ impediuntur corpore perturbato, ut apparet in dormiente, & temulento, Et ira in primis quæ corpus uehæmentius agitat, uexatq;. quod non obticuit Propheta inquiens. Turbatus eſt præ ira oculus meus. Nulla uero affectio (ut ſupra patuit) primo, & per ſe, imperio rationis obtemperat, ſed duntaxat uoluntate quaſi arbitra ita conſtituente, ac mandante. Non tamen abſurde dicitur, iram eſſe cum ratione non quidem præcipiente, ut facit uoluntas, ſed denunciante, ac indicante quoniam ratio de iniuria illata decernit, & iraſcēdi cauſam, menſuramq; demonſtrat. Videturq; aliquid boni præ ſe ferre, cū appetitio uindictæ (ut alibi docuimus) ad uſum iuſtitiæ pertineat. Illud autem eſt iræ propriū, ac peculiare ut ſola contrario careat. Siquidem odium aduerſatur amori, deſperatio ſpei, dolor lætitiæ, audacia timori, itemq; aliud alii, at iræ nihil eſt contrariū. Id ea ratione contingit, nā iratus uel ideo non ulciſcitur, quod eius imbecillitas omni caret ulciſcendi facultate, & tunc ira ceſſat, eiuſq; loco ſubit dolor qui (ut antea uidimus) ad u[illegible] concupiſcēdi ſpectat. Aut quia omnem abiicit ulciſcendi uoluntatem, uel quod ſibi ſatis factum putat, uel quod clementer ignoſcit, uſus illius conſilio qui dixit. Mihi uindictā, & ego retribuam. Viri magni, & ex

*Quo ſenſu dicatur irā eſſe cum ratione.*

*Iram carere cōtrario.*

celſi munus eſt obliuiſci iniurias, in aduerſariumq; ultionem nunquam moliri, quippe quæ nihil in ſe habeat dignitatis, nihil amplitudinis, & ita ſublata omni animi irritatione, ſuccedit honeſtiſſima quædam exhilaratæ mentis uoluptas, quæ itidem ad alterã animi partem attinet. Cum uero dicimus iram inueteratam odiũ eſſe, non ita accipi uolo, quaſi eam affectionem, quæ prius fuit ira, odiũ fieri, ſed quod ex ira pluribus cauſis collecta, diuturnoq; tempore obdurata, odium prodeat, & ſimultas oriatur. Nam, ut uirtus nos ad amorem inducit etiam illorum quos nunquam uidimus, ita uitiũ inflammat ad odium, magnaq; habetur de alterius improbitate coniectura, ſi bonis uiris ſit odio. Ideo Homerus, ut Therſitem uitioſum oſtenderet, inquit.

*Quo ſenſu dicamus iram inueteratam eſſe odium.*

Odit, & hunc magnus Pelides, odit Vlyſſes.

Licet autem uideri poſſit odium, ac inuidiã eaſdem eſſe animi affectiones, propterea quod utrunq; amori, beneuolentiæq; aduerſatur, longiſſimo tamen interuallo diſtant, cum quibus cauſis odium ceſſat, iiſdem excitetur inuidia. Si quem enim commutatis moribus ex imo uitiorum gurgite emergere, & ad gloriam uirtute niti conſpiciunt, eum odiſſe deſinunt, inuidere incipiunt, raroq; eſt uirtus adeo præſtans, quæ inuidiæ morſus poſſit effugere, nam qui nihil memoratu dignum agunt, aliena gloria offenduntur. Etiam quaſdam hominum peſtes experimur, quæ nihil aliud ſtudent, quam ut per bonorum detractiones, atq; calumnias id efficiãt, ut boni qui ſunt, improbi, & humanitatis, mãſuetudinis, benignitatiſq; cultores, inhumani, crudeles, ſordidiq; uideantur. ubiq; repe

*Odium ab inuidia quid diſtet.*

ritur Drances aliquis. Quem gloria Turni
Obliqua inuidia,ſtimuliſq; agitabat amaris.

Nulli præterea iuſte inuidetur, plures tamen iuſtiſſime odio habemus,& niſi oderimus,accuſamur. Ideo quibuſ/dam laudantibus Cherillum Spartæ prætorẽ, eius collega reſpondit. Quomodo probus eſt Cherillus? cum ne in malos quidẽ ſit acerbus. Sed Chriſtiana pietas nos docet homines quidem diligere, at eorum uitia odio habere,neq; propter uitia hominem odiſſe, neq; propter hominem uitia diligere. Et hoc eſt illud perfectum odiũ, de quo inquit Propheta. Perfecto odio oderam illos, & ut uox illa tyrannica eſt, Oderint, dum metuant, ita nec hæc amicitiæ ſatis opportũa. Odi tãquã amaturus,ama tanquam oſurus. Hæc latius explicauimus, ut planior eſſet ad fortitudinem acceſſus,hoc eſt ad eam mediocritatem,quæ uerſatur in ſedãdo metu,fiduciaq; regenda, nullo enim itinere ad mediũ facilius peruenimus, quã quo ab utroq; extremo diſiungimur,cum hæc medii ſit natura,ut in neutram extremorum partem inclinet, ſed ab utroq; diſcedat. nam

*De ipſa fortitudine et quibus in rebus ea uirtus uerſetur.*

Hinc,atq; hinc uaſtæ rupes,geminiq; minantur
In cœlum ſcopuli.

Quod pcipue ĩ his affectibus cernit quorũ fortitudo eſt moderatrix,cũ alter ab agẽdo deterreat, alter ad agẽdũ impellat. hæc uero uirtus metũ ut receſſum quẽdã animi & tanquã fugã ſedabit. Audaciæ uero quæ exupat,& ferocius exultat,legẽ,modũq; cõſtituet. Cõtingit.n. aliquẽ cõfidere tũ magis quã oporteat,tũ minus, tũ aliter quã oporteat,itidẽ & metuere, at fortitudo nec inerti metu,

nec turpiſſima actionū duce cōfidētia ducit̃,cū q̄ opor tet,& gratia cuius oportet, & quantum oportet,metuat, cōfidatq;. Vnde patet circa eadē,audacē, meticuloſum, fortēq; uerſari,diuerſo tamē modo.illi nāq; exuperant, & deficiunt,hic mediocriter ſeſe habet, & ut ipſa ratio iubet,tā ſuſtinet,quā agit oīa ſedate,ac ſapienter. Eius uidet̃ eſſe propriū motus animi appetētis regere, & ſe/dare,ſemperq; aduerſante libidine in omni re ſeruare cō ſtantiā & mediocritatē. Virtus hæc,ut reliquæ omnes in mediocritate, hoc eſt,in medio,inter utrunq; uitiū ſpa/cio conſiſtit, & prætoriū ſibi utroſq; inter hoſtes collo/cauit,ibiq; conſtituta nos recti,ordinatiq; admonet, nec aberrare a certo, ſuoq; itinere unquam ſinit. Eſt autem rectum quod neq; in dextrum, neq; in ſiniſtrum ullo modo declinat. Accommodatiſſime igitur dictum eſt uirtutes in medio uerſari,neq; ab illo deflectere,quod ra tio ipſa mediū eſſe docuerit. In nobis autē uirtutes ſedē ſibi conſtituerūt aut in ipſo tantū intellectu,ut Scientia, Sapientia,Prudentia,aut in appetitu intelligētiæ comite ut Iuſtitia,aut in ea aīæ parte, quæ cupiditatis eſt alūna, rationi tamen obſequitur, & paret, ut Temperantia,aut demū in ui ipſa iraſcibili, qualis eſt fortitudo. Quas oēs uirtutes & e contrario uitia moꝝ eſſe nō naturæ,indiciū eſt,quod diſcēdo,agēdo,aſſueſcendo comparant̃,nā cū ignoremus ipſi ab initio agēdi modum,ac uiam, doceri prorſus nos opus eſt,qd ſit bene,atq; honeſte agere, uel ſentire,& qbus illud rōnibus aſſeq̄mur. Quocirca pinde, ut affectus ipſi uirtutes nō ſunt,ſic neq; reliquæ uires fa/cultateſq; nobis a natura cōceſſæ, ꝑ q̄s tñ faciles, aptiq;

*Fortitudinem in mediocritate uerſari.*

*In qua animi parte uirtutes collocentur.*

ad agendum ſumus. Ideo naturæ ipſius utendum eſt po teſtate, ac muneribus, meritoq; illi aſſurgendum, gratiæq; maximæ habendæ, quod nobis inſtituendis atq; augen dis ſe tam munificã, liberaléq; præſtiterit. Sed quemad modum circa alias uirtutes contingit, ut unum extremũ magis diſtet a medio quam alterum (longius enim abeſt a liberalitate qui eſt auarus quã qui prodigus) ita, & for titudini metus aduerſatur magis quam audacia. perferre enim quam aggredi, & difficilius eſt, & animi etiam fit mioris, & ſedare metum quam fiduciam regere. Hunc ue ro errorem ex cuiuſq; animo ſublatum cupio, ne opine tur in bello, & inter præliandum fortitudinem aut ſolũ, aut præcipue uerſari, a cæteris uero uel excludi, uel exi guum locum obtinere. Nam licet bellicæ fortitudinis laudes pleniori uideantur ore celebrari, illudq; de Aenea præconium ubiq; circunferatur.

*Fortitudinem ciuilem milita ri non eſſe in feriorem.*

Stetimus tela aſpera contra
Contulimuſq; manus, experto credite, quantus
In clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam.

Ex hac tamen domeſtica, & ciuili, non minus uberes fru ctus percipi ſolent, nec minus ea præclara ſunt ducenda, quæ domi geruntur, atq; in toga, quam quæ foris, & in lorica, cum uera fortitudo non tam in laboribus, pericu liſq; militaribus, quã domi priuatoſq; inter parietes uer ſetur. Siquidẽ ſuus cuiq; hoſtis intus eſt, & intra præcor dia, fortitudinis armis ſuperandus, aduerſaq; omnia con ſtanter, intrepideq; toleranda, quæ propter rerũ huma narum inconſtantiã, uiciſſitudinemq; fortunæ, quæ ple runq; proſperis rebus triſte aliquid adglutinat, eueniant

plurima, eſt neceſſe. Quotus enim quiſq; reperit, qui hu-
manos caſus, & reflantis fortunæ procellas nunquã fue-
rit expertus? Quid eſt in hoc procelloſo uiuẽdi pelago
communius quam ægritudo, luctus, exilium, egeſtas, car-
cer, orbitas, repulſa, infamia? Sed adeſt malorum domi-
trix fortitudo, quæ hæc omnia mitigat, tolerãdaq; oſtẽ-
dit, & nos tanto animo eſſe iubet, ut quicquid in hoc bre-
ui uitæ decurſu poteſt euenire, contemnamus pro nihi-
loq; putemus. Cunctaq; humana infra ſe poſita ducens,
ea non modo conſtanter ferenda ſuadet, uerum maiori-
bus etiam uiribus ſtatuit ſuperanda, nec ſolum ſæuienti
fortunæ reluctatur eamque uictã, & ſuperatã in fugam
uertit, ſed animi etiam bona ne externa ui, aut corrũpan-
tur, aut eripiantur ſuo præſidio tuet. Viri fortes nulla la-
borũ magnitudine, aut calamitatũ difficultate frangunt,
aut mortis metu, qui ſapientũ etiã animos percutit, Et li-
cet ex Peripateticorũ ſentẽtia, circa pericula dũtaxat &
res aduerſas fortitudo uerſetur. Neſcio tamen an ſecũdis
in rebus, magis quã aduerſis, quiſquã quaſi Palladis Aegi-
de, hac uirtute munitus eſſe debeat, cũ nõ minus ſit artis
uentis nimiũ proſpere flantibus uela contrahere, quã re-
luctantibus uitare naufragiũ. Fortis eſt duris in rebus ani-
mũ nõ ſubmittere, at longe fortioris ad rerũ apicẽ ſubla-
tũ nõ inſoleſcere. Fortis eſt pericula contemnere, & pro
decore capitis diſcrimen adire, at fortioris mederi libidi-
nibus, frenũ iniicere ſuperbiæ, ĩperare iracũdiæ, peſteſq;
oẽs cupiditatũ ex animo prorſus euellere, adeo ut ſæui-
entẽ fortunã multi tulerint fortiter, blandientẽ pauci tẽ-
perate, illic ipſa difficultas ad uirtutẽ quaſi ĩpellit, hic cõ

*Fortitudine omnia aduerſa domari.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Non minus in proſperis quã aduerſis fortitudine opus eſt.*

tra proſperitas ad incontinentiã excitat. Rari admodũ in ipſo rerum ſucceſſu uincere animum, cupiditates co / hibere potuerunt, nam (ut uerißime ſcribit Poeta,

Neſcia mens hominum fati, ſortiſq; futuræ
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Quod quo difficilius eſt, eo glorioſius, atq; præſtantius habetur. Vera fortitudo excellentẽ rerũ humanarũ diſpicientiã oſtendit, nec honores, magiſtratus, imperia maxi mi facit, quippe quæ ſæpiſſime non hominũ meritis, aut uirtuti ſed opinioni, & fortunæ, interdũ & pecuniæ demandant. Nec tam eos æmulari ſtudet qui ampla nan ciſcuntur imperia, quã qui pie, iuſte, moderateq; guber / nant. Quod abſolutiſſimæ conſumatæq; uirtutis munus eſſe puto, cũ nullũ ſit uitiũ, quo ægrius, qui magno, ex celſoq; ſunt animo, liberentur, quã honorũ imperiiq; cu piditate. Non graue eſt aſpernari uoluptates, maiora ſpe ctãtibus. facile eſt Sardanapalli, aut Heliogabali molliſſi mas delitias, ac luxũ cõtemnere, atq; adeo odiſſe, et ple runq; diuitiæ ab excellenti ingenio negliguntur. At ho nores, imperia, magiſtratus quoniã eximiũ qddã, & emi / nens in ſe continere uident, animũ etiã excelſum in tran ſuerſum rapiunt, & id ſæpe honeſtatis ſpecie, cũ opti / mus qſq; iudicet & quidẽ uerißime nulla re homines ma gis Deo ſimiles eſſe, quã dandis beneficiis, id autẽ putãt maxime præſtari poſſe ab iis, qui ſummã rerũ adipiſcũ tur. Quæ quidẽ cupiditas in ambitionẽ, & poſtremo ty rannidẽ erumpit, nec ad magnitudinẽ, ſed ad ſuperbiã, & dominatum ſublimia plerunq; ingenia inducit. hinc frau des, hinc cædes, hinc reliqua ĩmania flagitia oriuntur,

*In rerum humanarum contemptu fortitudinem maxime oſtendi.*

cũ hi, dũ uel tyrannidé ſibi cóparent,uel cóparatã tue/
antur, non ſolũ ſingulos ciues,ſed totas urbes, integraſq;
nationes ferro,igni,flammaq; populantur,cunctaq; mili/
tum libidini ſubiiciunt,qui neq; agros cultoribus ſpolia/
re,neq; hominũ, pecudũq; prædas abigere uerẽtur, qui
pueros teneraſq; uirgines ex parentũ complexu aut ad
mortẽ, aut ad libidinem rapiunt, qui denique publica,
priuata,ſacra,prophana funditus euertunt. Quos Cyclo
pes,quos Læſtrigonas cũ iſtorũ ĩmanitate, & ſæuitia cõ
feremus? Vehemens eſt Maronis aduerſus hoc hominũ
genus inſectatio

Dii talem terris auertite peſtem
Nec uiſu facilis,nec dictu affabilis ulli
Viſceribus miſerorum,& ſanguine ueſcitur atro.

Hi ſecũdioris fortunæ afflatu, ſe neſcio quid felicitatis
adeptos dũ alios tyrannide p̃munt,falſiſſime arbitrãtur,
ignari tanto grauius deũ in homines ſceleſtos animaduer
tere conſueſſe,quanto diutius humanam pertulerit con/
tumeliam. Qui ideo ſontes plerunq; patienter tolerat,
ut ſeſe colligant, ad ſanitatemq; reuertantur ne animad/
uerſionis tarditatem ſeuerius luant.Quæ enim Tyranno
rũ uita eſſe poteſt, qui omnes ſuas fortunas uidẽt in alea
eſſe collocatas? Altius certe uiri uere fortis animus ſpe/
ctat,qui mortalia deſpiciens immortalé illius uitæ gloriã
ſequitur ad quam ſola iuſtitia,nos perducit.Impudentiũ
quoq;,inuidentiumq; latratus contemnere,habereq; pro
nihilo magni,fortiſq; animi eſt,nam aduerſus eas arbores
peruicacius incumbunt turbulentiſſimi uentorum flatus,
quæ & altioribus ſunt, & firmioribus nixæ radicibus.

*Dominandi cupiditas ſæpe homines ad flagitia inducit.*

*Quam ſit deteſtanda Tyrannorũ uita.*

*Viri fortes quibus ſint moribus, et quæ aſſerantur.*

Ad quos omnes turbines uiri fortis, ut inquit Poeta, Mens immota manet, lachrimæ uoluuntur inanes. Etiam irā cohibere, qua nihil conſuli recte poteſt, & inſolentiā, ſuperbiamq; uitare, quā uictoria potiſſimū ſolet afferre, fortiſſimi uiri eſt munus. Non alit, nec incendit uir fortis inimicitias, uerū & ſedat, & extinguit potius, haud enim dominādi cupiditate ducitur, ſed habere quos foueat, quos tueatur, & uincere magis, quam uinci beneficiis ſtudet. Sed ut felicitas humana habet, neſcio quid elatum, & inſolens, ita hæc uirtus cōtumax eſt, nec facile flectitur, ut deterioris imperiū ſubeat, quod totū non a ſuperbia ſed ab animi magnitudine proficiſcitur. Nulli, neq; homini, neq; turbationi, neq; caſui ſuccumbit, reſq; quo magis arduæ plenæq; laborum, & periculorum ſunt, eo fortiori animo aggreditur, idq; honeſtatis gratia, hæc enim uirtutis eſt finis. Non puto abſurdum

*Documēta, per quæ hæc uirtus facilius acquiratur.*

uelut formulam quandam præſcribere, qua tam excellentem, atq; heroicam uirtutem aduerſus rerum humanarum difficultates dimicantem facilius aſſequamur. Nam licet uirtutum ſit nulla, quæ non ſeſe omnibus præbeat expetendam, ad paucos tamen earum poſſeſſio deuenit, quoniam & difficilis, & laborioſa. Quæ enim uirtus ſine graui corporis, animiq;, & opere, & munere haberi poteſt? quod in ipſa fortitudine magis apparet, quæ in primis difficilis eſt, & ſupra quam dici poteſt rara. nec quiſquā niſi aſſueſcendo fortis euadit. Idemq; de iuſto, & temperato ſentiendum eſt, cum quælibet uirtus ſit animi habitus, quem ut quis non facile ualet exuere, ſic induere eſt perdifficile. nec niſi longa, aſſi-

duaq; exercitatione,frequentiq; uſu acquiritur. Nam cũ tria eſſe in homine intelligantur,uis illa, atq; habilitas a natura inſita,quæ a recentioribus potentia dicitur,& affectus a natura nobis itidem tributi,& demum ipſe habitus. Priora duo quod homini a natura inſint naturalia dicuntur,habitus uero exterior quædam res eſt,atq; ab ipſo homine agendo,aſſuefaciendo , ſeq; frequenter exercendo comparatur.Ideo & habitus dicitur,quia extrinſecus eſt adhibitus,& quaſi quidam ueſtitus hominem qualis ſit in actionibus ſuis indicat fortiter agentem, fortem liberaliter,liberalẽ,ſicut turpiter,effœminate,turpẽ effœminatum.eſt enim ipſius habitus proprium indicare qualis fuerit actio,actioniſq; frequentatio.Licet enim principia quibus ad agendum trahimur,ea inſint nobis,ſintq; naturalia,actiones tamen arbitrii ſunt noſtri, & uoluntariæ. Non igitur ab affectibus,nec ab ea ui ac habilitate, quæ nobis ad agendum eſt innata,nominari uirtus poteſt aut debet,cum ea bonum ſit hominis,non quod uiuit,& ſentit,ſed quod actione utitur ab ipſa ratione temperata.Nam conſuetudo aſſidua,& rectæ actiones ,diu,multumq; frequentatæ in habitum uertuntur,ab habitu uero omnis uirtus emanat,uel ipſi potius habitus ſunt uirtutes.

*De ratione habituum et quo pacto habitus acquirantur.*

*Non ab affectibus,nec a naturæ habilitate ſed ab habitibus uirtutem nominari.*

Recte igitur,atq; appoſite a peripateticis definiũtur uirtutes,eſſe animi habitus in mediocritate conſtitutos,atq; ab electione profectos.Non ergo habilitas,neq; affectio homini inſita bonum,uel malum aliquem reddit,aut indicat,uerum habitus ipſe bonis, & honeſtis , aut contra turpibus,maliſq; ex actionibus comparatus ,utputa for/

*Vir fortis quis ſit habendus et unde noſci poſſit.*

tis hominis exercitatio, frequenſq;, ac moderata actio, iure optimo uocabitur uiri fortis habitus, nec qui aliquid magno, elatoq; animo facit, continuo fortis eſt appellandus. Vna hirundo (ut eſt in prouerbio) non facit Ver, nec una actio uirum fortem. Sed nec illa fortia, liberalia ue dicuntur, quæ fiunt ab ambitioſo, ſimulatoue ciue, & in libera patria regnum affectante, uerum ab homine, ut par eſt, forti, ac liberali atq; ab eo qui ad uirtutem quancunq; aliam ſe inſtituit. ipſa enim uirtus nihil extra ſe quærit cum ſit animorum uera, naturaliſq; alimonia, nec aliquid ſimulatum patitur, aut fictum, aſtu uacua, a fraude auerſa, a fuco prorſus aliena. Quam ut adipiſci ualeant compeſcendæ ſunt naturales appetitiones, & craſſiores quædam animi ſordes, uel negligentia, uel iam longo uſu inhærentes, leuiore prius manu abradendæ ne inſolens harum rerum animus, remedia prius exhorreat quam futuram inde utilitatem agnoſcat, in multiſq; demum conſueſcendum, quibus ipſa natura ab initio quodammodo reluctari uidetur. Vt non modo ad fortiter agendum ſimus propenſi, ſed etiam idipſum dum agimus oblectemur tunc enim habitum comparatum eſſe ſcimus, & cuiuſuis proprium iam effectum, ſi agentibus nobis, ac exercentibus, quæ uirtutis ſunt munera, uoluptas inter agendum aderit, aut minime ſaltem dolebimus, ferimuſq; non grauate, quæ per ſe ipſa ſunt moleſta. Ideo poeta ut huius uirtutis laude inſigniret Aeneam, hac alacritate eum fortia adeuntem facit.

*Quæ ſunt euitanda, ut hanc uirtutem aſſequamur.*

Præcipitatq; moras omnes,opera omnia rupit,
Lætitia exultans,horrendumq; intonat armis.

Alioquin qui ſtrenue & nauiter agit, ſi interagendum non lætitia exultat, tantum abeſt a uere forti, quantum continens a temperato, nam temperatus qui iam habitum contraxit, ſine ulla difficultate, ac moleſtia negocium conficit, continens uero qui nondum conſtituto habitu nititur, etiam abſtinet, ſed ægre, & non ſine lucta, & licet eum fere ad portum reuexerint fluctus, diu tamen uitiorum turbo iactat, & naufragum, atq; fluctuantem ab illis quibus merſatur erroribus, uix demum longa ætas recipit. habet ille tamen finitimum quiddam, & uirtuti proximum, quæ continentia dicitur, in qua ſi diu ſe exercuerit, paulatim temperantiam adipiſcitur, fitq; uirtus id quod hactenus uirtus non erat, ſed ingreſſus ad uirtutem, nam quanuis uterq; idem præſtet, continens tamen eo deterior eſt, quia cum dolore abſtinet. Nec ſatis eſt firmus aduerſus uoluptates, temperans uero beneuolens, lætuſq; abſtinet. Subit quis moleſtias, labores, periculaq; bellica, in quibus de uita, de libertate, de honore agitur, & gloria. ſi malelibens, & inuito, ac coacto ſimilis, longe hic a magnitudine, dignitateq; abeſt uiri fortis. ubi uero libẽs, uolenſq; ea munera obit, uel ſaltem non inuitus ad illa accedit, certiſſimi de illius iam habitu quidem ſumus. Eadem eſt cæterorum quoq; habituum ratio. Itaq; iucũditas, & delectatio in uſu, actionibuſq; adhibita, ac retenta, ſigna manifeſta ſunt habitus iam cõparati, atq; omnino perfecti.

*Tunc habitus in nobis eſſe acquiſitos ſi interagendum lætemur.*

*Vitia quæ fortitudini maxime aduerſantur.*

Quod ſi fortitudinis habitum aſſequi cupimus, uitia omnia abiicienda ſunt, & ea præcipue quæ huic uirtuti aduerſantur, ſicut ignauia, quæ a nauanda opera animum deterret, ſimul & ſegnities, quæ eſt plena humilitatis & remiſſionis. Item diffidentia, quæ aggredi aut nihil permittit, aut ab incæpto deſiſtere turpiſſime cogit. Libido in primis, quæ malorum omnium eſt origo, & fons, & animum ab æquo, rectoq; ubiq; detorquet ex cuius uelut ſeminario pullulant omnes animi peſtes, nam ob luxum & molliciem, quæ ſunt laborioſa, & moleſta fugimus, ex quorum fuga naſcitur deſidia, & effœminatio, & utriq; comes nequitia. Ideo philoſophi qui ſummum malum in dolore poſuere, nullum fortitudini locum reliquiſſe uidentur, quam enim quis dolores formidat, tam ſequitur uoluptates, quibus etiam ſeſe domandum permittit. Quid autem turpius quam frangi doloribus, eneruari uoluptatibus. Quod ſi quis animo uoluerit, qui ex illis cruciatus proueniant, quæ mala, quotq; afferantur tormenta & ſenſibus, & corpori in cuius bonis popinarii iſti philoſophi omnia collocant, deſinet adamare tantopere uoluptates. Quanta ſit autem fœditas hominis eneruati, & nihil agentis, facile quiſq; uidebit, ſi in eius animo obuerſetur ſpecies alicuius, ita mente, & corpore ocioſi, ut nihil omnino cogitet, nec digitum quidem moueat. Quid erit eo homine miſerius? qui non aliter cenſendus eſt,

*Voluptatis quanta ſit turpitudo*

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

uel ut aliquis Endymiõ, qui a Luna olim conſopitus in

Latmo mõte adhuc fertur obdormire. Plurimum autem conducit in omni humana actione, ſi aliorum exempla proponantur, quorum quanta ſit uis docet illa Maronis exhortatio.

*Exemplis ad fortiter agendum mouemur.*

Sis memor,& te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Aeneas,& auunculus excitet Hector.

Quis diffidat aduerſi aliquid conſtanter poſſe tolerari, cum maiora etiam a pueris,& mulierculis patrata cognouerit? Alexandro ſacrificante,puer candentem carbonẽ ex acerra prolapſum brachio nõ excuſſit,quoad exuſtæ carnis foetor Regem offenderet. At Democles puer præſtãti forma,ne in balneis a Demetrio inexpletæ libidinis Tyranno,nefanda pateretur, in feruẽtis aquæ lacum deſiliit,repenteq; eſt extinctus. Lacedemonius adoleſcens ne obſcoenam operam domino nauaret,ſe ab altioribus ædium feneſtris præcipitẽ dedit, & Cleomenis regis filius audita patris morte eodẽ præcipitio uitã finiuit. Quid de foeminis? quarum animi ſolent eſſe maxime imbecilles. Quam generoſe Lucretia ſtuprum licet coactum ſuo ſanguine expiauit,quo ſpiritu Chloelia abrupit uincula, ſolaq; noctu Tyberim natando traiecit, de qua Maro.

*Exempla fortium feminarum.*

At fluuium uinclis tranaret Chloelia ruptis.

Vetera hæc, recenti memoria, cum Mahometes Mytilenem adortus Cecennum eius inſulæ oppidum oppugnare coepiſſet,facta oppidanorum eruptione, Marulla uirgo,cuius pater inter præliandum occubuerat,paterno clypeo, gladioq; in aciem armata prodiit,& cum oppidani,ob ſæuientem ſtragem, ac interitum terga darent,

ſola in acie confertiſſima prælians, nec iaculorum, ſagit/tarumq; nimbis ceſſit, nec catapultis, aut tormentorū ictibus deterrita, animo inuicto, & infracto acriter pugnādo hoſtem, qui iam ſe intra mœnia irrupturum ſperabat, uera uirtute a muris repulit, Theſalidem argiuam imitata, quæ patriam Argos a Cleomene Spartanorum rege ua/lidiſſimis copiis obſeſſam, ſupra uirilem fortitudinem defendit. plena eſt huiuſmodi exemplis Chriſtiana hiſtoria, unde apparet quantum in animis uirorum firmitatis ſit, ac roboris, ſi conſtare nobis uelimus. Malorum quoq; præteritorum recordatio animum ad aduerſa fortiter toleranda corroborat. quid enim aliud agit illa conſolatio?

*Malorũ præteritorum recordatio uirũ fortẽ ſolatur.*

Vos, & ſcyllæam rabiem, penituſq; ſonanteis
Acceſtis ſcopulos, uos & Cyclopea ſaxa
Experti. Finis autem fortitudinis eſt iucundus, unde illud.

Durate, & uoſmet rebus ſeruate ſecundis.

Licet a rebus per quas acquiri ſolet, nonnihil offuſcari uideatur, ut in pugilibus uſu uenit, quos finis delectat, ſcilicet uictoria, & corona, cædi uero moleſte ferunt. Nam fortitudinis materia, & quaſi campus eſt labor, & difficultas, rerumq; terribilium contemptus. Terribilia uero ex peripateticorum ſententia bifariam diuidimus, alia enim ſunt quæ omnino captum hominum exu/perant, quibus uel tolerandis, uel peruincendis nullus hu/manæ prudentiæ, rationi ue relinquitur locus, ut terræ/motus, eluuiones, exuſtioneſq; terrarum, quas neceſſario

*Duplex terribilium genus et quomodo in his uir fortis uerſetur.*

certis, ſtatiſq; temporibus accidere, Platonici docent. Hæc cuiq; ſanæ mentis æque ſunt extimeſcenda, cum per naturam fieri nequeat, ut ea (niſi forſan ab inſanis) non formidentur. Et ſi etiam fieri poſſet ex eorum ta/men contemptu nihil laudis, decori ue conſequeremur, ſicut nec turpitudinis, infamiæ ue, ſi ea ut par eſt, timea/mus. Sunt alia uero terribilia, quæ concutere quidem animos ſolent, his tamen tolerandis, atq; etiam peruin/cendis uirtus eſſe uidetur idonea. Quod ſi etiam acrius ingruerint, conſtanter ne nos de præſidio deturbent, reſiſtere poſſumus, ne ſuccumbere, & cedere ſæuienti fortunæ uideamur, quæ fortis uiri animum peruellere forſitan poterit, & pungere, eius certe uires frangere non poterit. Nec probo ſententiam illam uel docentis, uel irridentis Epicuri, qui tradit ſapientem ſi in Phalaridis tauro concludatur dicturum, Quam ſuaue eſt hoc, res enim triſtis eſt ſine dubio dolor, aſpera, amara, inimi/caq; naturæ. Ideo uiro forti morbus, egeſtas, inedia, uulnera, mors deniq; moleſta ſunt, doloremq; affe/runt, nec enim uir fortis eſt, quod olim Marſias, nunc uero Paſquillus, ut quaſi ſaxeus motum ſenſumq; animi / ferit. Quin auſim affirmare, uirũ forte acrius doloris mor ſum ſentire. Eſt enim uir fortis idẽ, & prudẽs ſuiq; æqſ/ſimus æſtimator. Ideo noſcit ſe dignũ, qui & diuturni-tate uitæ, & fortunæ cõmodis pfruatur, quo ſcilicet diu tius exercẽdæ uirtutis materiam, et inſtrumẽtum habeat. Ideo ſe illis priuari indigniſſimum ducit, fert tamen

*Vir fortis dolore non caret tamẽ propter uirtutem oĩa tolerat.*

non æquo tantum animo,uerumetiam magno,atq; inui-
*In repentinis et nō opinatis maxime fortitudo cognoſcitur.* ſto,quia honeſtum eſt ea ſubire,turpe uero non tolerare. Repentina uero,ac inopinata, præcipue uiri fortis magnitudinem oſtendunt,cum nullus in his fere relinquatur conſilio,aut electioni locus. Nec ſit mediocris ad ægritudinem acceſſio, cum quid inſperati nec opinati mali obrepit. Multum autem prodeſt prouiſio animi,& præparatio, nec res ulla eſt, quæ tam obtundat imminuatq; ægritudinem, quam perpetua in omni uita præmeditatio. hinc Anaxagoras nunciata morte filii reſpōdit. Sciebam me genuiſſe mortalem. Nam in iis quæ prius fuerunt proſpecta,ratio ipſa, animiq; confirmatio plurimū adiumenti afferunt, cū in re prouiſa fœmina confidat ſe fortitudinis munus expleturam.

Hunc ego,ſi tantum potui ſperare dolorem,
Et perferre ſoror potero.

Adeo ut nullum efficacius ſit doloris,uel tollendi,uel ſaltem imminuendi remedium, quam ipſa præmeditatio, & ſui ipſius confirmandi mora. Non imprudenter eadem Dido,

Tempus inane peto,requiem,ſpatiumq; furori,
Dum mea me uictam doceat fortuna dolere.

Nam in iis quæ ſubito emergunt, cum nullum ad uires colligendas ſpatium detur, neceſſe eſt habitu præcipue niti,animiq; robore malis ingruentibus obuiam ire,quod eo præclarius eſt quo difficilius. Quæ uel præcipua eſt *De bellica fortitudine,et an diſtet a ciuili.* cauſa,cur bellica pericula,& ſint, & uideantur grauiora, quo repentina magis. Ipſa rerum ſeries nos eo deduxit,

ut iam de bellica fortitudine agamus, quam pleriq; a ci/uili longe diſtare arbitrantur. Nam cũ ſit uiri fortis morbum, egeſtatem, ac reliqua, quæ nec ab improbitate, nec culpa noſtra proueniunt, minime timere reperiuntur, qui nec morbum, nec paupertatem metuunt, liberaliterq; ſua erogant. Iidem tamen in bello meticuloſi ſunt, animiq; imbecillioris, ut proditum eſt de græcis, qui ex hoſtium aſpectu terrebantur, morbos patienter, atq; humane ferebant. rurſus alii, quibus eſt, Viuida bello,

Dextra uiris, animuſq; ferox, patienſq; pericli.

Ferro decertare acerrime poſſunt, ægrotare uiriliter nequeũt, ſicut de Cimbris, & Celtiberis traditum eſt, qui in præliis, exultabant, lamentabantur in morbo, quorum omnium ratio conſtabit, ubi de ficta, adumbrataq; fortitudine agemus. Cæterum uir fortis ille eſt céſendus, qui ex uirtute decus, gloriamq; adipiſci contendit, nã generoſiſſimus quiſq; honoris, laudiſq; eſt maxime appetens.

*Vir fortis cupiditate honoris, et gloriæ ducitur.*

Exultantiaq; haurit

Corda pauor pulſans, laudumq; arrecta cupido.

Inſt in mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas gloriæ propagandæ, Ex quo naturæ atq; animi motu & quodammodo impulſu, uir fortis duriſſima quæq; aggreditur, conſulto tamen, & habito prius delectu. Nec enim tam laudandus eſt qui ardua, difficilimaq; capeſſit (cũ non pauci dum magna ſupra uires adoriuntur, pondere rerum preſſi ſuccubuerint) quam qui ratione conſilioq;, ſuſcepta fortiter, conſtanterq; perficit, licet fortuna in rebus bellicis plurimũ iuris ſibi uendicet, ubi ut inquit Poeta.

*In rebus bellicis quantum ſit fortunæ attribuendum.*

K i

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Sors & uirtus miſcentur in unum.
Nec ſolum quicquid ex ſententia geſtum eſt, id pene omne ducit ſuum, uerumetiam clades uictoriis, & uictorias cladibus ſæpe commutat, & ( ut idem inquit )
Multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locauit.
Non eſt tamen ſæpe fortunæ alea tentanda, immo quo ſecundiores ſucceſſus affert, eo magis eius inconſtantia metuenda, ſed licet belli exitus fortunæ dãdus perſæpe ſit, tamen illa ipſa quæ bello adhibet dimicatio, ſemper uirtuti eſt attribuenda. Nec tam conſiderare oportet, ſi id quod qs aggredi parat, aliquo modo fieri poſſit, quã ſit ne id fieri iuſtum, æquumue, nam animi magnitudo iuſtitia uacans immanitatis potius quam uirtutis nomen meretur. Et ſi quis totum orbem terrarum in ſuam redegerit poteſtatem, non tamen fortis eſt putandus, ſi id egerit iniuſte. Quis enim illos fortes appellet, qui

*Quæ a uiro forti ſint ſuſcipienda et in his qualiter uerſandum.*

Infandum contra omnia bellum
Contra fata Deum peruerſo numine poſcunt.
Iccirco Poeta Thraciam, quam cupiditatis Symbolum fecit, a uiro forti fugiendam cenſet inquiens.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum.
In qua regione iccirco Mars natus perhibetur, quod habendi cupiditate ut plurimum bella geruntur, beatiſſimam enim uitam multi ſe adeptos putant, ſi opibus, imperioq; reliquos mortales ſuperent. Qua cupiditate inflammati non dubitant non modo nefanda uerumetiam innumeris laboribus, periculiſq; refertiſſima bella ſuſcipere. Rurſus non ſolum id intueri oportet quam bone

ſtum, iuſtumq; ſit,quod aggredimur. ſed uires,ut antea diximus,cuiq; metiendæ ſunt, ne impares oneri turpiter ſuccumbamus,ut Lauſus,quem pie ſed ſupra captũ ætatis dimicantem obiurgat Aeneas,

Quo moriture ruis?maioraq; uiribus audes?
Fallit te incautum pietas tua.

Sunt autem ardua, & maxime formidoloſa ea, quæ mortem uidentur allatura, cum nihil morte ſit terribilius, ſed præſertim circa eam mortem uiri fortis laus eluceſcit,quæ in bello contingit, quam ueteres pulchrã mortem appellarunt,unde illud.

*Circa mortem maxime fortitudinẽ cognoſci,et eam quæ in bello contingit.*

Pulchrumq; mori ſuccurrit in armis, & item illud
An ſeſe medios moriturus in hoſtes
Inferat,& pulchram properet per uulnera mortem.

In prælijs autẽ uiri fortes ita uerſantur,ut præ gloriæ cupiditate aut uulnera non ſentiant,aut ſi etiam ſentiũt,mori malint,quam uel tantillum de dignitatis gradu dimoueri,&quod de Mezentio ſcribit Poeta.

Manet imperterritus ille.
Hoſtem magnanimum operiens,& mole ſua ſtat.

Quippe qui probe intelligat,aut in hoſtem ſuperando, aut ſi id minus contingit,in morte oppetenda laudem, & decus eſſe collocatum,ideo honeſtam mortẽ,turpi fugæ anteponit,& ſtrenue moriendo ſe ita ſolatur.

Sancta ad uos anima,atq; iſtius inſcia culpæ
Deſcendã,magnorum haud unquã indignus Auorum.

Quis enim niſi imbellis & eneruatus græcum illum uerſiculum approbet?quem Demoſthenes

*Quam turpe ſit ex prælio aufugere.*

Oblitus decoriſq; ſui ſociumq; ſalutis.
in ſuæ fugæ patrocinium exhibebat.

Qui fugiebat rurſus præliabitur. immo uerius qui fugiebat, rurſus fugiet. quando enim uincet, qui cũ fugeret, uictus eſt? quiſquis hoſtem metuit irritat, & qui fugit, ad prædam inuitat, nec quiſquam melior eſt in bello, quã qui animo præſenti fertur ad bellum. Indignus eſt autem uita, qui cum opus eſt, non audet contendere & dimicare pro uita. Quid autem uiro forti cum fuga?

Vſque adeone mori miſerum eſt?

*Quo conſilio uir fortis in prælio congrediatur.*

Vſq; adeone parcendum cruori? quaſi humana mens in Empedocleo ſanguine demerſa iaceat. Congreditur uir fortis animo ita obfirmato, ut aut uirtute uincat, aut mortem oppetat quã honeſtiſſimam, & ſecum ita decernit.

Aut ſpoliis ego iam raptis laudabor opimis,
Aut letho inſigni.

Strenue enim agendo gloriã quærit, quæ uirtutis, recteq; factorum comes eſſe debet. merito Turnus ſorori ſuccenſet ei fugam ſuadenti

Dextra nec Drancis dicta refellam,
Terga dabo? Turnum fugientem hæc terra uidebit?

*Exempla illorum qui mori maluerũt quã aufugere.*

Celebratur. P. Furii memoria, qui cũ aduerſus Aequorũ gentem pugnaret, & ab eorum multitudine circumuentus moneretur, ut abiectis armis hoſtium miſericordia uitam ſeruaret, mori pugnando maluit quam ignauam uitam uiuere. At Paulus Aemilius temeritate Varronis collegæ clade apud Cannas accepta, Lentulo Tribuno fugam ſuadenti reſpondit, Abi, tu & me in hac ſtrage meo ...re. Sed quid unum, alterum ue memo

tem. A Gallogræcis pugna cum Antigono Macedonum rege infeliciter commiſſa, cunctæ copiæ occumbere maluerunt, quam fugiendo timoris ſigna hoſti relinquere. Quotiens uero Romani exercitus ad non dubiā mortem cōcurrerunt. Sed omnis hæc laborum, periculorumq́ ſuſceptio ad honeſtatem eſt referenda, & pietatis officia, ut Scipio Aphricanus, qui adhuc adoleſcens patrem conſulem lethaliter uulneratum ex Annibalis gladiis eripuit, ut Aemilius Lepidus, qui itidem patrem captum hoſte prius interempto apud Ticinum liberauit, ut Leonidas, qui in anguſtiis Thermopylarū, patriam, ne Xerſis iugum ſubiret, eſt tutatus, ut Cocles qui ſolus in ponte rem Romanā ſuſtinuit, ut deniq; omnes,

*Vera fortitudo eſt ad honeſtatem, et pietatem referenda.*

Qui manus ob patriam pugnando uulnera paſſi.

Alioqui ſiue Impatoris Maximini robur fueris nactus, q & Hercules, & Antæus eſt appellatus, ſiue Lyſimachi, qui cū Leone in cauea, ut laniaretur occluſus immaniſſimam feram gutture colliſam interemit. Siue Iulii Valentis Auguſti Centurionis qui plauſtrum onuſtum tam diu ſolus ſuſtinebat, quoad totum onus deponeretur, curruumq; magna ui equorum raptum, manibus in contrarium reuocabat. omnis tamen hæc corporis firmitas potius feritas quam fortitudo eſt appellanda, ſi iuſtitia & pietate uacet. Nec eſt ut aliunde huius uirtutis exempla intueamur, cum tot glorioſiſſimi martyres, animo erecto & infracto incredibiles hauſerint calamitates, acerbiſſimoſq; corporis cruciatus tam alacriter ſuſtinuere, ut non ad mortem trudi, ſed in coelum aſcendere uiderentur, gauderentq; quodāmodo abeundi ex

*Quam perfecta in Martyribus fortitudo.*

hac uita cauſam ſe legitimam nactos, tam generoſe pro fidei maieſtate præliati, ut ex eorum uulneribus plus gloriæ, quam ſanguinis emanarit. Quid autem boni in ſe habere poteſt caduca hæc, & incerta, fragiliſq; uita, uariis ac pene infinitis obiecta periculis? quam ſecuritas hebetat, ſollicitudo coarctat, proſpera inflant, aduerſa deiiciunt, lætitia diſſoluit, infirmitas frangit, mœror deprimit, & ſingulis pene momentis per tot mutabilitates agitata eũ finem habet, ut cum eſſe deſierit, ne fuiſſe quidem putetur. Felices illi qui ex eius poculo Circæa toxica non bibunt, qui eius non capiuntur illecebris, qui illud Maronis in animo ſemper habent.

*Nihil eſſe in hac uita, quod magnopere ſit appetendum.*

Stat ſua cuiq; dies, breue, & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitæ, ſed famam extendere factis,
Hoc uirtus opus.

Miſerrimus autem qui mortem formidat, quæ propter uitæ breuitatem nunquam a nobis longius abeſt, & propter ancipites caſus ceruicibus noſtris ſemper impendet, quicquid illud eſt, quo animus a corpore ſeiungitur leue eſt, & qualecunq; ſit, eſt ad punctum temporis. ſiue tardabis, ſiue properabis, uolat ætas, tantumq; abeſt ut mors malum ſit, ut pie uiuentibus nihil ea melius eſſe poſſit. Cupio inquit Paulus, diſſolui, & certe non aliud eſt mors, quam iſtorum nexuum ſolutio, animiq;, & corporis ſeparatio, hoc eſt partis immortalis, a parte mortali & commigratio, commutatioq; melioris uitæ. Qua liberamur grauiſſimis dominis, mœrore, & uolupta

*Viris bonis mortem eſſe potius appetendam quam metuendam.*

te,aliiſq; innumeris peſtibus, quæ nos his corporis culis alligatos aſſidue exedunt, lacerantq;. Adeo illis duntaxat ſit metuenda mors, quos uita male a æternis ſuppliciis deſtinauit perpetuis tenebris alligan/dos apud principem ſuum,quem uiui coluerunt. Hi ut die, noctuq; mortis formidine torqueantur, oportet.

*Solum ſceleratis mortem eſſe metuendā*

Quid enim non metuat,qui ſe omni opprobrio, omni dedecori ſentit obnoxium? Nam etiam ſi homini tot flagitiis immerſo nulla ſit diuinæ iuſtitiæ ſuſpitio, nulla notio,non poteſt tamen eſſe tam animo obdurato, aſſi/duis, inauditiſq; ſceleribus,& ita peruicaci,quin ui natu/ræ,bonitateq; rationis uincatur interdum, ſecumq; ta citus meditetur,quam uitam ſemper uixerit, quænam egerit & quodnā ſit iuſtitiæ præmium,uel ſupplicium; homines enim fallere fortaſſe poſſumus,imprudentes & rudes,at deum certe,& nos ipſos nunquam poſſumus. Et licet nonnulli philoſophi fuerint ingenio uſq; adeo de prauato,& ab omni hominis natura, dignitateq; alieno, ut animum opinarentur una cum corpore interire, diſſipari, dilabi, eruditiſſimi tamen cuiuſq; fuit ſen/tentia ,animos uitiis & ſordibus contaminatos deprimi in tenebras, atq; in cœno iacere, at caſtos, puros, in tegros, incorruptos leui quodam, & facili lapſu ad æthera,ideſt,ad naturam ſimilem ſui aduolare,idq; aper tiſſime in Phædone oſtendit Plato. O felix igitur o ter q; quaterq; beatus,qui hoc ergaſtulo ſolutus in cœlum, tanquā in domiciliū ſuum remigrans Galaxiæ ingreſſus iter audit dicētē, Intra in gaudiū domini tui,& uiciſſim reſpondet, Iam hyems tranſit, imber abiit, & receſſit

*Quid ueteres de animi īmortalitate ſenſerint.*

flores apparuerunt,tempus putationis aduenit,hanc feli citatem adipiſcuntur pauci,quos æquus amauit
Iuppiter,aut ardens euexit ad æthera uirtus.

Et ii præſertim,qui dum ſe in hoc uitæ curriculo exercent,per mentis candorem ad diuina ſublati,minimam ſibi ſocietatem cum corpore eſſe uoluerunt,et dum hanc craſſam,et concretam mundi regionem incolerent, mentis tamen aciem ad cœleſtia ſuſtulere. Sed ne uidear longius a propoſito aberrare,uir fortis in rebus omnibus quibus munere ſuo fungi poteſt,officiumq; cum dignitate tueri,inuictum ſeſe atq; intrepidum præſtabit,fortis enim omnia uincit animi obduratione,et tolerãtia. Qui ut talis eſſe poſſit,ab ephœbis aſſueſcat pati laborioſa, dura,aſpera,toleratuq; difficilia. nam ut inquit Poeta.
Vſq; adeo a teneris aſſueſcere multum eſt.

*Quæ fuerit priſcorum inſtitutio, ut fortes euaderent.*

Priſcis illis prudentioribuſq; regibus morem fuiſſe legimus filios pueros poſt inſtitutionem iuſtitiæ,quæ præcipuum eſt (ut inquit Plato) et firmiſſimum regni fundamentum,uenationibus exercere,quo per oppugnationẽ uictoriamq; ferarum,ad militiam fierent magis idonei, hinc illa uenantis Aſcanii alacritas.

Iamq; hos curſu,iam præterit illos.
Spumantemq; dari pecora inter inertia uotis
Optat aprum,aut fuluum deſcendere monte Leonem.

Hæc illa fuit ueterum Romanorum,qui ſolis ortu et occaſu imperium terminarunt,educatio.

Durum a ſtirpe genus,natos ad flumina primum
Deferimus,ſæuoq; gelu duramus,et undis,
Venatu inuigilant pueri,ſiluaſq; fatigant.

Flectere ludus equos,& ſpicula tendere cornu.
Et ut ſcribit idem,

At patiens operum,paruoq; aſſueta iuuentus
Aut raſtris terram domat,aut quatit oppida bello,
Omne æuum ferro teritur,uerſaq; iuuencum
Terga fatigamus haſta.

Et quæ ſequuntur. Non luxu,non mollicie,non uoluptatibus animum,corpuſq; eneruantibus,

Rerum facta eſt pulcherrima Roma,
Septemq; una ſibi muro circundedit arces.

Romanæ iuuentutis qualis olim educatio.

Quid olim in delitiis habuerit Romana iuuẽtus,quibuſq; luſibus oblectaretur,non obticuit Poeta,

Ante urbem pueri,& primæuo flore iuuentus
Exercentur equis,domitantq; in puluere currus
Atq; acres tendunt arcus,aut lenta lacertis
Spicula contorquent,curſuq;,ictuq; laceſſunt.

Imitationem plurimũ prodeſſe fortitudini.

Nam qui nec laborem metuet,nec uoluptatem ſectabitur,facile ad ipſam fortitudinis arcem aſcẽdet.Cui multum confert imitatio,ideo qui fortis euaſurus eſt,aliquẽ ſibi proponat,quem imitetur,& cuius gloriam tanquam ducem habeat,eoq; quaſi authore nitatur.Ideo optimus fortitudinis magiſter,ita Euandrum loquentem inducit.

Hunc tibi præterea ſpes,& ſolatia noſtri
Pallanta adiungam,ſub te tolerare magiſtro
Militiam,& graue Martis opus,tua diſcere facta
Aſſueſcat,primis & te miretur ab annis.

Authoritas quantum conducat ducibus belli.

At ubi qs ex pueritiæ diſciplina ad res fortes obeũdas ſe conuerterit, in iiſq; uidebitur ſatis exercitatus,oẽmq; ſcientiam rei militaris probe calluerit, ſi militari impe/

rio fungi,copiiſq; præeſſe cupit,omni ſtudio,& conatu in eo laboret,ut plurimũ ſibi authoritatis comparet,quo apud ſuos uenerationi,apud hoſtes uero terrori ſit. Iphicrates Athenienſis acie cum barbaris dimicaturus, uereor inquit,ne Iphicratem barbari iſti norint,quo ipſo nomine ſoleam alios hoſtes reddere conſternatos. Antigonus quoq; aduerſus Ptolæmei præfectos claſſe conflicturus gubernatori dicenti hoſtium naues longe eſſe plures ,at me inquit præſentem aduerſus quot naues opponis? Et

*Viros bonos etiam ab improbis et flagitioſis uenerationi haberi.*

licet authoritas ex rebus ſapienter,fortiterq; geſtis plerunq; comparetur,tamen ſi fama increbuerit Imperatorem eſſe pium,religioſum,ac cœleſti numini charum lõge auguſtior,& ſanctior etiam a turpiſſimis, flagitioſiſq; habebitur. Licet enim quiſq; ut eſt nequã,& improbus , non niſi de flagitio,& ſcelere cogitet , neſcio tamẽ qua interiore coactus ui bonos non minus ueretur,quam metuit. Nec quiſquam tam fractæ exiſtimatiõis,tamq; profligati pudoris facile reperitur,qui non fateatur,& id cogente natura,quemq; decere omni ſtudio,ope,& diligentia,remis,ueliſq;(ut aiunt)ad uirtutem contendere,& qui id nõ appetit, in nullo hominũ genere eſſe reponendũ, adeo natura uiuendi dux optima,quantumlibet deprauata,corruptaq; hominum ingenia cogit quandoq; uel

*Ex religione præcipue authoritatem Principibus quæri.*

ĩuita decoris,honeſtatiſq; meminiſſe. Ideo Scipio Aphricanus,quo milites arctius in diſciplina contineret,quotidie ante diluculum cellam Iouis adire cõſueuerat , quaſi conſultaturus de Rep. cum Ioue. at Sertorius ceruam albam ſibi oblatam diuinitus finxit,eamq; inſtinctu Dianæ monere,& docere,quæ utilia factu eſſent. Sublata enim

authoritate raro,aut domi,aut foris quicquã præclari fieri poteſt. Numa Pompilius ex Egeriæ nymphæ præcepto Remp. moderari & cerimonias inſtituere ſimulabat. At Lycurgus ius ciuile Sparthanorũ ad apollinẽ retulit. Zoroaſter quicquid apud Bactrianos conſtituit,id a bono numine accepiſſe credi uoluit. Zamolxis quicquid Scythis obſeruandũ tradidit,id Deæ Veſtæ acceptum referebat. ſumma ſemper habita eſt authoritas,quæ religionis opinione cõparatur. Hoc nõ omiſit Maro in ſuo Aenea,qui uniuerſa claſſe ignibus pene abſumpta,ubi nec uires heroum,ĩmenſaq; flumina profuerant,Iouem in auxilium uocauit,uixq; precibus bene finitis,

Omnes

Quattuor amiſſis,ſeruatæ a peſte carinæ.

Age uero imaginẽ fortitudinis pingamus,ut olim iuſtitiæ Chryſippus,qui eã pingendam docet forma uirginali, aſpectu uehementi, luminibus oculorum acrioribus. Et ut Phidias interrogatus, quonam exemplo Iouem Olympicum exſculpiſſet,hos Homeri uerſus protulit,

*Imago et ſimulachrũ fortitudinis, et quas uirtutes ſecum habeat comites.*

Atq; ſuperciliis Saturnius annuit atris,

Ambroſiæ fluxere comæ de uertice Regis

Aeterni,aſt nutu magnum concuſſit Olympum.

Itidẽ nos conemur Vergilianis coloribus huius deæ faciẽ adũbrare,quã ne ſolã putes,dextro eius lateri iuſtitia,ſiniſtro prudẽtia ſemp adhæret. Nihil habet uir fortis pceps nihil turbulẽtũ,nihil fluctuoſum & a primis ſtatim pgreſſiõibus ad finẽ uſq; ppetuo quodã tenore ſibi cõſtat,idẽq; ubiq; apparet,ſempq; añ caſum pſpicit,ad idq; ſe pparat,q ut eſt aptus,ac uerax,ita cautus,& ſagax,nec qcq̃

*Eſſe uiri fortis omnia prudenter agere.*

agit,aut molitur,niſi prudentia prius in conſilium adhibita. Scit non omnes ad omnia accõmodatos,& perſonarum,temporum ,aliarumq; plurimarũ rerum rationẽ eſſe habendam ,cum nõ idem ſit officium dictatoris, & equitum magiſtri,nec id centurionis , quod gregarii militis munus,& loco grauiſſimi probri habet uerbum illud, non putaram,ne cogatur ingruentibus periculis ſe ita inculare,

Ante equidem ſumma de re ſtatuiſſe Latini
Et uellem,& fuerat melius,non tempore tali
Cogere conſilium,cum muros obſidet hoſtis.

*Sublata iuſtitia nullum eſſe fortitudini locum.*

Iuſtitiæ uero adeo eſt ſtudioſus,ut ne trãſuerſum quidẽ unguem ab ea ſecedat,nec ulla dominandi cupiditate a ſplendiſſima illa animi magnitudine abduci poteſt. Nõ facile reperias apud Maronem de fortitudine agi , quin ei Iuſtitia quaſi comes adiungatur , ut de AENEA Ilioneus.

Rex erat Aeneas nobis,quo iuſtior alter
Nec pietate fuit,nec bello maior & armis.

Et de eodem Drances,

Quibus cœlo te laudibus æquem?
Iuſtitiam ne prius mirer,belli ne laborem?

At Homerus, cui noſter Maro uel eſt æquandus , uel anteponendus,quippe qui multa ex ſe peperit, & quæ ab illo accepit,fecit plæraq; meliora ,has uirtutes ,fortitudinem,iuſtitiamq; in principe maxime admiratur,quas ita iunxit.

Ille bonus bellator erat,iuſtiſſimus idem.

hunc uerſum Alexander Macedo adeo commendabat,

ut eum omnibus Homeri uerſibus diceret anteponen/
dam. Ineſt autē huic Deæ heroicus decor, regiū ſuper
cilium, oris dignitas, ſtatura procera, totius corporis
circunfuſa maieſtas, quæ plurimum de cœlo traxiſſe ui/
detur, & quencunq; ſibi deligit atq; imperio idoneum
ducit, his exornat corporis dotibus, ut de eo dici poſſit
Tragicum illud.

*Pictura fortitudinis et quomodo tripliciter uultum uariet.*

Species primum digna eſt imperio.

Sed ut ferunt poetæ, quēdam Hiſpaniæ regem, nomine
Geryonem triplicem fuiſſe, ſic noſtra hæc dea triplici
facie mutatur, cum ſit ante congreſſum hilari habitu, uul
tu compoſito, fronte ſerena, & quieta. Vide quanta ani/
mi tranquillitate hoſtem aggrediatur,

Subridens ſedato pectore Turnus, Ita inquiens,
Incipe, ſi qua animo uirtus, & conſere dextram.

Et profecto niſi ſedato ſit animo neceſſe eſt eū inter cō
grediendum turbari, & in præceps ruere. At in cōgreſ/
ſibus inter dimicātiū dextras in ipſiuſq; pugnæ ardore

Cum tota it turbida cœlo
Tempeſtas telorum, & ferreus ingruit imber,

longe diuerſum induit uultum, fit acer, & uehemens, ac
terrentis ſpeciem præſe fert, ipſumq; aduerſariū uel frō
tis rigore perterrefacit, tunc enim,

Proxima quæq; metit gladio, latumq; per agmen
Ardens limitem agit ferro.

*Virum fortem eſſe clementem, nec humano ſanguine gaudere.*

Parta autem uictoria fit idem miſericors, et benignus. ſe
cus enim agere, et aduerſus uictos inſolentius ſe gerere.
quid aliud eſt, quā uictoriā fœdare? Præcipua uiri for
tis laus eſt clemētia, quippe qui illud propoſitū habet

Parcere ſubiectis,& debellare ſuperbos.
Nec enim uir fortis cædibus gaudet,& tanquã fera ſagi/natur cruore,nec aliã belli gerẽdi cauſam ducit, quã ut tuto,& honorifice in pace ei uiuere liceat,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Ideo ad ignoſcendum eſt procliuis,rebuſq; cõpoſitis nõ ſolũ iniuriarũ obliuiſcitur,ſed etiã amici,& patroni, pſonã induit,& moderate oĩa,tranquilleq; adminiſtrat, Nam qui ad decus,& gloriam eſt natus,maiori laudi ducit eos beneficiis ſuis amicos reddere,qui fuerant inimici,quã in uindictam exaſperari,Nullaq; re plus gaudet,quam ubi aliqua hoſtibus ignoſcendi offertur occaſio.quam clemẽter Aeneas.
Pacem ne exanimis,et mortis ſorte peremptis
Oratis,equidem,et uiuis concedere uellem.
Nam in ipſo quoq; uincendi curſu ita ſe gerit,ne ſtudio cædis aut rapinarum bellum gerere uideatur,ob hoc Niſus obiurgat amicum.
Senſit enim nimia cæde,atq; cupidine ferri.
præſcribit ei finem,ne ſupra modum ſæuiat.
Pœnarum exhauſtum ſatis eſt,uia facta per hoſtes.

*Morem antiquorum triũphandi deteſtatur,et Philippi Mariæ benignitatem commendat.*

Deteſtanda omnino uetus illa triũphãdi cõſuetudo, tũc enim captiui reges, cum a portis,uſq; ad forũ triũphãtium currus honeſtaſſent, ſimul atq; in Capitoliũ flectere cœperat imperator,abrepti in carcerẽ necabãtur.Quãto ſplendidius factum Philippi Inſubrũ ducis, qui recenti memoria,nauali dimicatione ad Caietam memorabili uictoria potitus,cum Alphonſum Aragonũ regem, et tot ꝑterea ex utraq; Hiſpania,et,Italia, et Sicilia principes

in poteſtaté redegiſſet,non modo illos in triũphũ agere nõ ſuſtinuit,ulla ue ignominiæ nota pſtringere, ſed magnis honoribus,et ſplédidiſſimis muneribus cumulatos pſtinæ dignitati reſtituit, adeo,ut q iure belli diutiſſime captiui eſſe meruiſſent, uictoris benignitate nõ modo ſe liberos,ſed multo maiores, potétioreſq; factos itellexerit. Peculiare auté eſt uiro forti,ut ſit fraude uacuus, minimeq; inſidioſus,& talis cũ quo (ut habet prouerbiũ) in tenebris mices, adeo uerax, ut quæ ex eius ore manant,perinde ſint accipienda, uelut ſi ueritate euangelica firmarentur, oditq; inprimis illud Chorebi.

Dolus an uirtus,quis in hoſte requirat?

Iram autem ita adhibet, non ut præcedat, ſed ut ſubſequatur, rationiq; obtemperet, ſitq; adminiculo fortitudini,nec ſibi permittit per iracundiæ impotentiam(quæ magna Martis eſt labes)quicquam ferocius decemere,ſed ut Entellus,acrior ad pugnam redit, & uim ſuſcitat ira, uel pius ille Aeneas acuit martem,& uim ſuſcitat ira.

Vt autem noſtra hæc dea habet latera duabus pulcherrimis ſororibus munita,ita quatuor ſequuntur pediſſequæ eiq; ſedulo inſeruiunt. Prima eſt Tolerãtia laborum, ac moleſtiarum domitrix. deinde Perſeuerantia,quæ eſt in ratione bene conſiderata,ſtabilis,& perpetua permanſio. Tertia Generoſitas ſuadens cũcta propter laudes,decuſq; contemnenda. demum Patientia, cui primam palmam tribuit Maro, ſic enim Nantes ſenior ex Palladis diſcipli na,hortatur Aeneam. *Quatuor eſſe fortitudinis pediſſequas.*

Nate dea quo fata trahunt, retrahuntq;,ſequamur,
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

eſt autem patientia rerum arduarum, ac difficilium hone ſtatis cauſa uoluntaria perpeſſio, Cæterum eſt alia quædam degener, et adulterina fortitudo lõge aliis coloribus adumbranda, quæ tantum a priori diſtat quantum fuci, et crabrones ab apibus ueris, Hæc ut omittã, anxiam illã magis quam legitimam Peripateticorum diuiſionem, ad tres gradus redigi poteſt, quorum primus ab ipſis animi affectionibus ducitur, unde prodeunt actiones parum ad modum ab iis qui fortiter agũt diuerſæ, cum pleriq; induſtriæ ſubſidia, atq; inſtrumenta uirtutis, in libidinem audaciamq; conuertant. Quam multa factu difficillima audet amator, quam grauia, et indigna æquo animo tolerat, quam manifeſtis periculis amoris potiũdi gratia obiicitur, at libidinoſiſſimus quiſq;, et ſtuprorum exercitationi aſſuefactus frigore, et fame et ſiti, ac uigiliis perferẽdis, quod de Catilina tradit Cicero, fortis apparet. Nõne Turnum cum Aenea ſingulari certamine congreſſurũ

*De adumbrata fortitudine quæ ad tres gradus redigi poteſt.*

Turbat amor, figitq; in uirgine uultus,
Ardet in arma magis.

*Primus adumbratæ fortitudinis gradus qui ab affectionibus ducitur.*

Spes quoq; audaciam gignit, nam qui confidunt ſe ſuperiores euaſuros, intrepidi unũquodq; periculum aggrediuntur, animoſeq; aduerſarios, inuadũt, ut de Aenea ex uulneris acerbitate, pugna excedere coacto, Turnus

Subita ſpe feruidus ardet,
Poſcit equos, atq; arma ſimul.

At ubi hoſtis acrius premit, aut loci deterret iniquitas, mox proiectis armis uertũtur in fugam. Nec minus ipſa deſperatio animos facit, ut illius, qui ſic populares ad mortem hortatur.

Moriamur, & in media arma ruamus,
Vna ſalus uictis nullam ſperare ſalutem.
Nam, & mulieres in extremo periculo animos tollunt,
Primæq; mori pro mœnibus audent.
Quid dolor? qui ſuis ſtimulis agitatos, perinde ut cæcos in exitium rapit, præcipitatq; etiam fœminas, qua feroçia ſe confodiens Dido infremit.
Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait, ſic ſic iuuat ire ſub umbras.
Quin timor etiam ipſe fortitudini opera ſimillima ædere ſolet, & ſæpe in eundem hominē conueniunt, ſimulq; duæ res diuerſiſſimæ coniunguntur, metus & audacia. Quid autem ira ubi contempto rationis imperio amens, atq; in furorem acta deſæuit? qua percitus pius ille Aeneas, Turnum memoria patris Anchiſæ uitam deprecantem, interemit.
Poſtquam ſæui monumenta doloris,
Exuuiaſq; hauſit furiis accenſus, & ira Terribilis.
Et ne ſingula percurram, nulla eſt uehementior, effrenatiorq; animi perturbatio, quæ non aliquod opus edere ſoleat a ueræ fortitudinis actione non admodum diſſimile, in hoc autem conſiſtit omnis uarietas quod fortes decoris, & honeſti cauſa, dura, aſpera, terribilia aggrediuntur, ſuſtinentq;, & ut inquit Poeta,
Vitamq; uolunt pro laude paciſci.
At hi, alius alia de cauſa. Secundus adumbratæ fortitudinis gradus ab ipſa rerum ſcientia, uſuue, uel quod utriq; eſt contrarium ab ipſa ignorantia emanat, *Secundus gradus qui a ſcientia, et ignorantia prouenit.*

Quapropter Socrates fortitudinem,ſcientiam eſſe pu/tauit,ſic fortis dicitur medicus,qui fretus artis peritia intrepide ægris medetur.uide qua fiducia,Iapix Aenea lethali uulnere ſaucio,

Spicula dextra
Sollicitat,uerſatq; tenaci forcipe ferrum.

Artem quam quiſq; nouit,ſine metu aggreditur, tentatq; animoſe,quæ eſt expertus,ſic Nautæ peritia nauigandi confiſi,ferendiſq; procellis aſſueti non perturbantur marinis tempeſtatibus, ſic milites ueterani, qui nouerunt qua ratione ictus aduerſarii declinari queant,quoq; mo/do petendus ſit hoſtis,ea contemnunt,quæ bellicæ rei imperitos terrificant ,fretiq; armorum uel uſu,uel ſcientia confidentiſſime in certamen prodeunt,præſertim ſi eorum Imperator adſit.

Tum uero incumbunt,urget præſentia Turni.

Qui tamen ubi pericula,& hoſtium impetus exuperant, terga uertunt,fœdiſſimamq; fugam honeſtæ morti præferunt,ut nuper Ticinenſi prœlio Heluetiis euenit. His ſunt proximi,qui per ignorātiam fortes uidentur,et qui uel ignorant,quibus cum ſibi negotiū ſit futurum, ſicut Androgeus qui cum amicos arbitraretur,

Senſit medios elapſus in hoſtes,
Obſtupuit,retroq; pedem cum uoce repreſſit.

uel cum rem ſibi futuram cū imparato hoſte putant, & ideo acriter initio certamen ineunt,at ubi aduerſariū fortiter reſiſtere,et comminus manus conſerturū intelligant mox in fugam uertuntur,ut Teucris cōtingit cum Labie

no,quem ad pugnā imparatū exiſtimauerāt dimicaturis.
Tertius eſt fortitudinis gradus, quā politicam appellant, cū ciues honoris dignitatiſq; ſpe allecti, aut ſupplicii metu excitati ſtrenue, animoſeq; decertant. Nam in Rep. bene inſtituta fortiſſimus quiſq; a ciuibus maxime honoratur, eſtq; in pretio. Ignaui contra, ideo plæriq; honoris, magiſtratuſq; adipiſcendi cauſa pericula aggrediūtur, in hiſq; fortiſſime agunt, nam ipſa fere Reſp.

*Tertius gradus adumbratæ fortitudinis quæ politica nuncupatur.*

Inuitat pretiis animos, et præmia ponit.
Qui tamē a uera, perfectaq; fortitudine longe abſunt, nā ob adipiſcendū honorem magis quā ob uirtutē ſtrenue rem gerere uidentur. Longiori tamē interuallo ſeiūguntur, qui uel minis, uel pœnarum metu, uel etiam pretio uel demum prædæ cupiditate capti, in pugnā proſiliūt, & in ea animoſe, ſtrenueq; uerſantur. Scimus etiam exhortationes, uituperationeſq; tanti eſſe momenti, ut quandoq; labantes erigant, & in uictoriæ quaſi poſſeſſionem reponant, quemadmodum Tarchon Tyrrhenis.
Nomine quenq; uocans, reficitq; in prœlia uictor.
Sic enim eos obiurgat.
Quo ferrum? quidue hæc geritis tela inita dextris.
eo illa tendunt ad fortiter dimicandum irritamenta.
Quos alios muros? quæ iam ultra mœnia habetis?
Numina nulla premunt, mortali urgemur ab hoſte
Mortales, totidem nobis animæq; manuſq;.
Fidite ne pedibus, ferro rumpenda per hoſtes
Eſt uia, & id genus plurima. Nam ſagax imperator & antequam ſigna conferat, & in medio pugnandi ardo/

*Quibus cauſis moueatur miles ad ſtrenue pugnādū*

re ſuorum militum

Nunc prece,nunc dictis uirtutem accendit amaris.

Hos pugnaces,acres,ſtrenuos bellatores appellare licet , fortes non licet,quos etiam ſuppliciorum quandoq; metus impellit,ut fortiter agant,& ſubire hoſtis gladium malint,quam Imperatoris ſecures. Fuit olim militaris diſciplinæ,ut exercitus qui uel rem male per ignauiam geſſerat,uel loco ceſſerat,culpam grauiſſime lueret,cũ Tribunis,ac Cẽturionibus uirgis de more cæſis, ſecuriq; percuſſis,ex reliquis decimus quiſq; ſorte ad ſuppliciũ duceretur,uel uniuerſi militia exauthorati inopem,ac infamem uitam agerent. His ueluti quibuſdã notis uera fortitudo a fucata,& adulterina diſcerni,ſeiungiq; facile poteſt . Sed cum omnem bene uiuendi rationem in animi robore,ac magnitudine poſitam eſſe oſtenderimus,quæ nulla in re magis,quam in bello eluceſcit,propter tot difficultates,& acerba pericula,quæ in prœliis contingunt, quorum ſpecies fœda,horribiliſq; apparet,cum

*Hortatur principes Chriſtianos ad arma cõtra Turcas mouenda.*

It triſtis ad æthera clamor.

Bellantum & iuuenũ,& duro ſub Marte cadentum.

Et eſt crudelis ubiq;

Luctus,ubiq; pauor,& plurima mortis imago.

Quid eſt quæſo, in quo Chriſtiani principes fortitudinis explere munus ſplendidius poſſent? quam ſi arma in Turcas conuerterint,& Chriſtianam Remp. teterrimi,impii,nefariiq; huius impẽdentis exitii periculo liberarint, cum ſi ſecus fiat,nec libertatem a maioribus traditã, nec dignitatem tot iam ſæculis florentẽ,diutius retinere poſ

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ſimus, cum omne calamitatis genus a crudeliſſimis hoſtibus ſit expectandum, quibus tanto ſumus odio, ut nihil Chriſtianorum cæde, ſanguine, cruore ſanctius ducãt. Et licet tot regna, & prouinciæ, quæ huic immaniſſimo tyranno parent, de incredibili hoſtium potentia coniecturam faciant, eaq; credantur geſſiſſe, quæ ſine maximis, ualidiſſimiſq; copiis, nec ſubſiſtere, nec confici poſſint, plæraq; tamen perſpicue, ac luce clarius oſtendam, ex quibus non ſolum intelligere, ſed etiam fateri oporteat, & Turcarum uires modicas eſſe, & Chriſtianis principibus expeditiſſimum patere ad uictoriam iter, eoſq; ſatis ſuperq; fore non modo, qui propulſare omné barbarorum impetum, ſed etiam euertere, & extinguere omnino poſſint, et Chriſtianæ reip. non tam ſaluti, quam incremento, atq; amplitudini eſſe. Quod ſi nulla difficultas, nullus labor terrere uos debet ab hoc pulcherrimo, religioſiſſimoq; facinore, quod diuina prouidétia nõ modo nõ deſeret, ſed amplexabitur magis magiſq; in dies, quid faciendum eſt propoſita non facili ſolum, ſed explorata, certaq; uictoria? nuſquam maiora ſunt præmia cõſtituta, quam ubi, et humanum ſtabilitur imperium, et non ſolum homines, ſed etiã Deum gratiæ (ſi fas eſt dicere) facimus debitorem. Et pro breui, exiguoq; labore triũphi illi maximi felicitatis æternæ, infinitiq; promittũtur, Sed cum liber hic ad iuſtam magnitudinem excreuerit, quæ ad rem Turcicam pertinent, in aliud uolumé commodius reiiciemus.

*Turcas eſſe imbelles, et eneruatos licet pleriq; aliter ſentiãt.*

FINIS.

Digitized by Google

# HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX. DE REBVS TVRCICIS LIBER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCEN.

## Ad Sereniſſimum Ferdinandum Hiſpaniarum Principem, Archiducem Auſtriæ, Romaniq; IMPERII VICARIVM EPISTOLA.

FEcit periculi magnitudo Inclyte Ferdinande, quod hac miſera tempeſtate domi, foriſq; non tam imminet, quam infert, ut reliquo de uirtutibus opere, auſpicio Summi Pontificis inchoato, & nondum abſoluto, librum unum de Fortitudine tempeſtiuius ædiderim, cui alterum de bello Turcis inferendo adieci, eodem prope argumento. Vbi enim uir fortis ſplendidius munere fungetur ſuo, quam cum eſt pro anima, pro uita, pro religione, pro Deo deniq; dimicandum? aut ſi pereundum eſt, ubi licebit glorioſius, atq; honeſtius, quam pro tot, & tantis rebus in acie perire? Quapropter duo hæc, re coniuncta, nec loco, nec tempore ſeiungenda duxi, nam cum clariſſimorum uirorum exemplo ætate iam ingraueſcente a publicis negotiis, ad priuatam quietioremq; uitam me contulerim, & animus in maximarum rerũ pertractatione ſemper uerſatus, inerti otio torpere non poſſet, me totum ad eam philoſophiæ partem, quæ eſt de moribus, explicandam, excolendamq; conuerti, quam pleriq; ueterum doctiſſime quidem, ſed ſubtiliter magis quam

dilucide tradiderunt. Vt ſi mea quantulacunq; induſtria, & tibi, & maioribus tuis aliquando uſui, ornamentoq; fuit, hæc ipſa philoſophiæ ſtudia a me olim in celebri Lutetiæ Pariſiorũ Academia, diu, multumq; agitata, deinde per inanem ambitionem longo interuallo intermiſſa, demum his annis ingraueſcentibus repetita, tibi uberrimos, eoſdemq; ſuauiſſimos fructus afferant. Magna ſunt enim adminicula uirtutis, quibus, qui ſolide nititur, mirabili incremento indies auctus ſurgit in gloriã, quæ recte factorum, etiam ſi id nõ agas, ſemper comes eſſe ſolet. Quis autẽ de te maxima quæq; ſibi nõ polliceatur? in quo adhuc adoleſcente uidemus omnia pietatis officia adoleſcere, & adulta propagari? eaq; iandudũ te præſtare, quæ ab iſta ætate neq; poſtulãda erant, neq; expectanda; et quod Darius Xerſis pater de ſe dicere conſueuit, inter pugnas, & difficultates quotidie prudentiorem fieri. Qui cum Turcarũ periculo ſis proximus, immo non proximus, ſed implicitus, immerſuſq; periculo, non tam neceſſitate repellendi a tuis finibus infeſtiſſimæ gentis latrociniũ, quã ſtudio Chriſtianæ Reip. ſubleuãdæ, ſolus audes ab ipſis prope Italiæ foribus, atrociſſimũ hoſtẽ propulſare, cæteris Chriſtianis Principibus in cõmuni omniũ naufragio (ne quid grauius dicã) cõniuentibus. Quæ res quã calamitoſa ſit, quãq; funeſta, nemo non uidet. Ego certe tanta indignitate cõmotus, nõ potui me cõtinere, quin meis lucubratiunculis eos liberius, acriuſq; monerem, ut aliquando reſipiſcant, & ad Chriſtianã Rẽp. capeſſendã, extremãq; calamitatẽ, quæ cuiq; obuerſat ante oculos, auertendã, animũ inducãt.

Te uero, quod mei eſt officii etiam, atq; etiam hortor, ut uoluntatem tuendæ religionis a te ſemel ſuſceptam conſtantiſſime retineas, & quarum rerum labores, ac diſcrimina, maxima cum tua, ingentiq; laude ſuſcepiſti, earum pulcherrimam palmam, exoptatumq; triumphum ne relinquas. VALE.

# HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS AD CLEMENTEM VII. PONT. MAX. DE REBVS TVRCICIS LIBER.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VEreor CLEMENS Septime Pont. Max. ne a quopiam exiſtimer inpudentior, qui cenſeat mei non eſſe, neq; muneris, neq; facultatis, ut ad ea ſummos Principes, Regeſq; excitem, quæ uel in primis regalem magnitudinē præ ſe ferant, ac propterea mihi id eueniat, quod Peripatetico Phormioni, qui cum Annibale coram clariſſimo Imperatore, per id temporis apud Antiochum regem exulante, de Imperatoris officio, deq; omni re militari copioſe diſſeruiſſet, pro mercede irriſionem, pro laude ignominiam reportauit. Interrogatus enim Annibal, quid de illo iudicaret, reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſæpe uidiſſe, ſed qui magis quam Phormio deliraret, uidiſſe neminem, qui cum nunquam neq; hoſtem, neq; caſtra inſpexiſſet, præcepta de re militari traderet. Sed cum accidere ſoleat præſertim inſtantibus periculis, ut infimæ etiam ſortis homines, in commune conſulant, ſi quid aut boni, aut tuti ultro ſeſe obtulerit, idq; in Chriſtiana religione præſertim, ubi quos fortunæ beneficium impares facit, omnes pares ſumus in Chriſto Ieſu, apud quem facultatum nullus, ſed meritorum duntaxat eſt delectus, facit magnitudo periculi, quod ante oculos uerſatur, ut ea profe ram, quæ & tuæ Beatitudini iudico ad laudem immor

*Quantum periculi chriſtianæ Reipub a Turcis impendeat.*

talem, & uniuerſæ Chriſtianæ religioni ad ſalutem, & tranquillitatem profutura. Licereq; mihi maxime arbitror, uel ob ætatem, uel ob plurimarum rerum uſum in publica cauſa, extremoq; diſcrimine, quid ſentiam, in medium afferre. Non puto poſt urbẽ Romam a Gothis direptam, & Italiam totam ferro, igniq; deuaſtatam plus periculi Chriſtianæ Reip. fuiſſe, quam hac miſera tempeſtate a Turcis infe,ratur. Nõ Epirotæ, non Pœni, non Gothi, non Vandali, non Longobardi, nulli deniq; peregrini exercitus, tantum terroris, calamitatiſq; hominibus noſtris attulere. Quæ enim unquam exterarum gẽtium uires terra ſimul, mariq; Italiam inuaſerunt? Oculis intuemur, quam omnis Chriſtiana reſp. non modo perculſa ſit, ſed fere proſtrata, & euerſa, & ex uulnerum acerbitate, atq; magnitudine iam ſentimus, procellas, tempeſtateſq; Turcarum, extremã prope noctem, tenebroſamq; caliginem, offudiſſe fidei, religioniſq; ſplendori, truculẽtiſſimi hoſtes in media Europæ luce, cædibus, & depopulationibus omnia cõplent, & noſtris elati diſſenſionibus indies magis, magiſq; craſſantur. Quoquo uadunt, quicquid eſt obuium, diſturbant, ac diſſipant, nec ullos ſibi repugnantes inueniunt. Eorum impetus, qui ab initio facile cohiberi potuit, ita in immenſum erupit, ut ueluti perfracto magni fluminis aggere, nulla mole, nullis obicibus contineatur, quin ruina, & ſanguinis profluuio omnia compleat. Terra inuadimur, mari affligimur, per plana, per montes, per conualles, omnibus locis oppugnamur. Dum extrema negligimus, uẽtũ eſt ad intima, & dum foris non reſiſtimus, domi ſu

mus exinaniti. Fuerunt quandoq; a Chriſtianis Prin/
cipibus magnifici de uniuerſa Mahometica ſuperſtitio/
ne delenda indicti, celebratiq; conuentus, ſed nulli unquã
progreſſus ſunt conſecuti, immo hoſtibus potius initiũ
datum, audendi aliquid immanius in Chriſtianam reli/
gionem, cum omnes noſtros cõatus caſſos, nulliuſq; mo
menti fuiſſe aduerterent. Nos, nos, inquam, friuolis qui/
buſdã, inanibuſq; rumoribus, adminicula non mediocria
Turcarũ uiribus attulimus, & quieſcẽtem (ut ita dixerim)
Lupum in Chriſtianum gregem irritauimus. Iam impius
Mahometes non ſolũ Myſiam, Phrygiam, Cariam, Ly/
ciam quatuor Aſiæ opulentiſſima regna, ſed quicquid
patet a Phœnicibus in Helleſpontum, occupat. At
in Europa a mari Euxino pene quicquid iacet inter
Danubium, & Dalmatiam uſq; ad montes, qui diuidunt
inferiorem Pãnoniam ab Italia, teterrimo premit domi
natu, ut Propheta de Mahomete ſcripſiſſe uideatur. Do
minabitur a mari uſq; ad mare, & a flumine uſq; ad ter/
minos orbis terrarum. Sed uetera hæc, & deplorata. Su/
periori quinquennio huius tyranni pater Selinus Syriã,
& Aegyptũ in poteſtatem redegit, quarũ hæc & aeris
temperie, & Nili fluminis irrigatione tam ferax, & opi/
ma eſt, ut olim Romanorum horreum diceretur. Sy/
ria uero, quæ circa Libanum, & Caſſium montes uſ/
q; ad Synopem extenditur, quanti ſit facienda, diuina
pollicitatio teſtatur, nã promiſſionis terrã, quã Deus po
pulo ſuo conſtituit, Iudæã eſſe ſcimus. hanc autem eſ/
ſe Syriæ partem quis ignorat? Et niſi tempeſtiue

*Quot prouincias tã in Aſia quã in Europa Turca occupent.*

Vires Chriſtianæ Reipub. quantum ille tyrannus attriuerit.

Deus eũ uita priuaſſet, tam infauſtum, miſerabileq́ prodigiũ (quæ noſtra eſt ignauia) iandiu in Italiã irrupiſſet. Ab eo eſt Tyrannus iſte progenitus cui duo inſunt diuerſiſſima, & inter ſe contraria uitia, cum crudelitate admixta mollicies, & cum luxu iuncta crudelitas. Qui eſt adeo effœminatus, ut nihil ab eo formidandũ, adeo ĩmanis, ut nihil ĩ eo molle uideatur. Et licet ea naturæ prauitate ſit inquinatus, tamen deſidia, & contentionibns noſtris factum eſt, ut nemo unquam alius ex hominum memoria extiterit, qui breui adeo tempore, tanta fomidine atq́ terrore, uniuerſum prope terarum orbem impleuerit. Ab eo illud acerbiſſimum uulnus accepimus, quod nuper amiſſis Taururo, & Rhodo in uiſceribus Chriſtianæ religionis altius inſedit, ab eo prouinciæ firmiſſimæ, opulentiſſimæq́ pene ſub conſpectu noſtro quotidie uexantur. Vltimum exitium Pannoniis imminet, eo q́ facilius hoſtes de his uictoriam ſperant, quod Taururo nuper potiti tutũ, expeditumq́ per Danubium ad Pannoniam tranſitum habent. Dalmatia quam Iapides olim tenuerunt, in ruinas fere tota concidit. laceræ nobilium domus, ſine tectis fora, plena cũcta ſqualoris, & pulueris, deforme iuſtitium. Croatia olim Valeria inter Dranum, & Danubium ſita, ita peruicaciter oppugnatur, cũ ingenti miſerorum illorum clade, & exitio, ut non procul abſit ab interitu. In Illyrico Martis ui & armorum rabie, omnia perculſa iacent, paſtinationes relictæ, agricultura deſerta, nauigatio interclusa. Quis ignorat intra Germaniæ clauſtra hoc eſt Carniam, & Carinthiã, hiſq́ proximam Iapidiam, quam Stiriam uocãt, bis ſuperiori ãno

Prouinciæ a Turcis nuper deuaſtatæ.

Dalmatia.

Croatia.

Illyricum.

diros,impioſq; Turcarum exercitus irrupiſſe,& circun/
quaq; liberrime uagatos, captiuorum permulta millia,
& ingentem prædam abegiſſe. Ipſi uidimus,incolas oēs
palantes in fugam uerti, clamores,miſerabileſq; eiulatus
in cœlum ferri,paſſim uaſtari agros, atq; cæde comple/
ri uniuerſa. Cum per omnē ſexum per omnem ætatem
peſtis illa debaccharetur,occiſi ſenes, pueri in cunis iu/
gulati,matronæ præſentibus maritis, miſereq; ſpectare
coactis,flagitioſiſſime cōſtupratæ,At ephebi (o inaudi
tum mortalibus malum)nō in ſeruitutem, ſed in flagitiū
ac libidinem arrepti. Reliqui,quibus barbarus enſis non
tam pepercit,q̃ ad maius ſupplicium reſeruauit,catenis
circuniectis humo raptati, quos credibile eſt (ſi per
catenas flectere colla potuerūt)in infelicem patriam ſæ
pe oculos retorſiſſe,ſpeculantes ſi qui pro ſe liberandis
arma ferrent,ſi quid uſquam auxilii appareret,non mor
tem,quæ in tantis malis remedium eſt,ſed extremas æru
mnas deprecati. Non eſt immaniſſimus ille tyrannus ge
nere mortis ſimplici,& uſitato contentus,hos ſecat me/
dios, hos traiectat palo, illos rota inſertat, alios inſuit
culeo, omnes noua ſupplicii, & exquiſita acerbitate di/
ſcerpit, Mortem in maxima, & poſtrema clementia nu
merat,& illos ſecum in gratiam rediiſſe credit,quos ſine
nouis cruciatibus ſimplici morte necari iuſſerit. Qui ini/
micus legibus, fœdera uiolat,inimicus Deo,templa in/
cēdit,inimicus religioni,ſacerdotes aut intra ſacras ædes
concremat,aut pro iumētis utitur,per eoſq; abiectiſſima
quæq; exercet,pudēdaq; miniſteria. Inimicus nobilitati,
qui Principes trucidare, lacerare diſcerpere uoluptati

*Irruptio, et deuaſtatio nuper a Turcis in Germania facta.*

*Quāta ſit iſtius tyranni crudelitas.*

ducit,non cupit præeſſe optimatibus, ſed obeſſe. regna quærit,non ut poſſideat, ſed ut perdat,nec Chriſtianos laceſſit,ut uincat,ſed ut Chriſtianũ nomen ei tantopere inuiſum funditus deleat. Quid uobis ſit animi hæc audientibus neſcio, qualis eſſe debeat non ignoro. Quod ſi nos non mouent aliorum calamitates, & Chriſtianæ religioni (quod dictu miſerrimũ eſt) tot impune a barbaris illatæ iniuriæ, moueant ſaltem noſtræ clades, noſtræ erumnæ,noſtræ calamitates, moueant populi,qui ditioni noſtræ parent,quibus eadẽ,quæ reliquis impendent pericula. Cogitemus q̃ prope habeamus,q̃ crudedelem Chriſtianorum non hoſtem,ſed exciſorem, quo tendat,quid moliatur, q̃ nihil prope tentauerit ad hunc diem,quod noſtra ignauia nõ peruicerit. Incendiũ illud, quod hactenus exarſit in Græcia, & Thracia cum iam nõ habeat aliunde materiã ardẽdi,ex Italia, & Germania quæret. Quid dixi quæret? imo iam inuenit,iam inſtat, iam urit oĩa,uidẽtes,ſcienteſq; ultro in perniciẽ ruimus. Quæ tu Clemens Septime pro tua in Chriſtianam religionem pietate ſedulo mente reuoluens, & tot, tantiſq; malis occurrere feſtinans, ſimul atq; ſummus Pontifex es declaratus, ampliſſimum Cardinalem Campeium uirum integerrimũ,& doctrina,eloquẽtia,rerumq; pertractandarum uſu adeo præſtantem, ut in quo iſtorum potiſſimũ excellat,iudicatu ſit difficile, ad prouincias periculo propinquiores, & præſertim ad Germaniæ principes,oratorẽ delegaſti, ut eos accẽderet,inflãmaretq;, ad bellum contra ſæuiſſimos Turcas ſuſcipiendũ, & chriſtianã Remp. ingẽtibus procellis pene obrutã in priſti-

*Turcas eo tendere,ut Italia, et Germania potiantur.*

*Ampliſſ. Patris Cardinalis Campei legatio.*

nam dignitatẽ uendicandã. Sed cũ uir ille ſapiẽtiſſimus eos alio cogitatus ſuos intẽdere,tam pulchrũq; negotiũ differri animaduerteret,confeſtim ad Hungaros,& Boemos eſt ꝓfectus,illos ut cõfirmaret,& ex iacẽtibus,ac afflictis erectos,aĩoſoſq; redderet,hos ut hortaret̃,atq; induceret ad fidẽ defendendã,chriſtianãq; religionẽ a Barbarorũ impetu tutandam.Boemi a Dalmatis licet oriundi,quod & morũ, & linguæ ſimilitudo facile oſtendit, Pannoniiſq; coniuncti, perinde tamen ut Germani eam legationem cunctabundi,ac oſcitantibus ſimiles accepere, quaſi ea res parum ſua intereſſet,cũ econtrario nihil cladis, calamitatisue Hungaris impendat, quod non in eorũ cladem, calamitatẽq; ſit redundaturũ. Quis enim ſit uſq; adeo mentis inops, qui minus aduertat,in quoſcunq; Chriſtianos Turcæ ſæuiunt, eos in uniuerſam Chriſti Ieſu ſæuire religionẽ? & qui alienos portus,alienas regiones,aliena moenia defenderit,eum ſuos portus, ſuas regiones, ſua moenia defenſurũ? Niſi forte exiſtimamus, ſi qui Chriſtianæ religioni ꝓpugnaculo ſunt, Dalmatæ, Hungariq; perierint,Turcas tandẽ quieturos, & ab urbis moenibus,ut olim Annibal tẽperaturos. falli mur certe, fallimur,lupus quo plus rapit,eo fit efferatior, & qui dominãdi libidine imperii fines exceſſit ſui,nunq̃ alieno poteſt expleri. An Turcã arbitramini, aut Helleſponti anguſtiis, aut Triballorũ montibus, aut Mæſiæ deſertis eſſe contentũ? cui Syria, Aegyptuſq; ſordent, qui Aſiæ opes,delitiaſq; cõtemnit,nec aliud quicq̃ niſi Romã meditatur, nihil actũ putat, niſi in auguſtiſſima hac olim Imperatorũ,nunc Pontificũ ſede,Mahometis

*Omnibus Chriſtianis idem periculum a Turcis imminere.*

gladium, ſceptrūq; collocarit. Totq; conatibus hoc unū agit, eo ſummam cogitationū refert, ut nihil poſt terga relinquatur infeſtum, quo liberior ſit ei ad Italorum, & Germanorum perniciem acceſſus, aduerſus quos eo maiori odio inflāmatur, quo ſibi magis metuēdos aduertit. Quid? quod hoſtis indignitas malorum auget dolorē? nam cum omnis iniuria grauis ſit, multo tamen eiuſmodi eſt grauior, quæ ab indignis infertur. Quid autē fœdius? quid exſecrabilius dici, aut cogitari poteſt? quam Chriſtianos Turcis ſeruire, quibus nullum genus hominum eſt impurius, nullū obſcœnius, adeoq; habent mentem immanitate efferatam, ut nullam eſſe naturam diuinam omnino ſuſpicentur, humanam uero felicitatē iis uoluptatibus definiunt, quæ honeſte nominari non poſſunt. Nam matrimonii ius omne prorſus ignorant, uxores quo quiſq; eſt ditior, eo plures habet, peculiiq; loco ānumerat, nec ullo iudicio, aut poſteritatis cogitatione, ſed libidine, atq; impetu animi ducuntur, Neq; umbrā quidem aliquam ciuilis inſtitutionis, nedum uirtutis ullius effigiem agnoſcunt, ad omnem turpitudinem, nequitiamq; expoſiti. Nam ii quibus animorum ſalus nō eſt curæ, nullū uitii ducunt uirtutiſq; diſcrimen, & cum ad naturæ prauitatē nequior acceſſit cōſuetudo, nihil eiuſmodi homines belluis præſtant. Miſeram, atq; infelicē noſtri temporis conditionem. Chriſtiani per adoptionē regni cœleſtis hæredes effecti, iis parere cogimur, quibus etiam dominari eſſet turpiſſimum. Quis eſt animo paulo erectiore, qui non malit mortem oppetere, quā iis ſeruire, qui natura etiam ſerui ſunt? Quod ſi quid patrii ui

*Mores, et uita Turcarum quā ſit impura, et flagitioſa.*

*Deflet Reipu. Chriſtianæ calamitates.*

goris in nobis reſideret, nunquã paſſi eſſemus, tam turpé contumeliæ notã inuri Chriſtianæ dignitati, nec quos iampridem uenire ſub haſta, uel mactari oportuit, uicto res, inſolenteſq; Chriſtianæ Reip. ſalutẽ, in ſuũ mũ pe/ riculũ, & calamitatẽ uocare. Pro qua defendẽda noſtras omnes fortunas, in quodlibet diſcrimen cõferre, corpus telis, armiſq; obiicere, nihilq; arduũ fugere debemus. Et reperiũtur adhuc (quod referre horret animus) qui pa cem cum hoc tyranno conciliatam uellent, & Vergilia/ ni illius meminerunt,

*Turpe, et periculoſum eſſe, cum Turcis pacem conciliare.*

Oremus pacem, & dextris tendamus inermes.

O coecas hominum mẽtes, & Cimmeriis tenebris obſcu riores. Quis eſt aliquo animi robore, & uirtute præditus qui nõ omnẽ crudeliſſimæ mortis acerbitatẽ ſubire ma lit, quã ſe tanto dedecori obnoxiũ reddere? Et ut eiuſ/ dem Poetæ uerſibus reſpondeam,

Si ſolitæ quicquam uirtutis ineſſet,
Ille mihi ante alios, fortunatuſq; laborum
Egregiuſq; animi, qui ne quid tale uideret,
Procubuit moriens, & humum ſemel ore momordit.

Hæc enim ſalus, qua morte nõ pernicioſior, q̃ præſtat nõ eſſe, q̃ ſic eſſe, & animũ deſpondere, quã cũ religio nis hoſtibus paciſci. Taceo quantæ ſit imprudentiæ ei ſe cõmittere, qui omni Euripo eſt mobilior, & tortuo/ ſior. quomodo enim ſeruet alienis fidẽ, quẽ perfidũ ui/ demus in eos, quos iuxta ac ſe ipſum tueri debet? Quis niſi inſanus, fidẽ ſperet ab infideli? aut mãſuetudinem a crudeliſſimo? quã & nobis turpiſſimũ eſt optare, & ille nemini dare conſueuit. Qui eo conſilio facit amicos, ut

quos aperte uiribus nequit, perfidia capiat. quemadmo-
dum Mahometes tyranni huius atauus, qui Imperatores
duos Bizantiũ, & Trapezuntiũ, ac totidẽ reges Mæſiũ,
& Sinopenſem, in ſumma pace, & integris adhuc fœde-
ris conditionibus regno ſpoliauit, & crudeliſſime intere-
mit. Quæ ultra commodiora tempora expectamus?
quibus, aut melius nobis, aut facilius Chriſtianæ Reip.
conſulatur. An cum reliqua Europa in miſeram, &
ærumnoſam ſeruitutem redacta, nos cogamur de liberis,
de parentibus, de uxoribus, de uita, de religione, de aris,
atq; focis dimicare, & ignem illum, quem in aliena do-
mo comprimere negligimus, in noſtra (dummodo li-
ceat) extinguere. Quin potius iamiam aduerſus impiũ
Mahometem omnes uires, copiaſq; conuertamus, quem
figura, & immanitate truculentiſſimæ beſtiæ Ioannis
Apocalypſis deſignat. Cuius iam ſæuiſſimis ſatelliti-
bus uniuerſum prope terrarũ orbem per omnem intem-
perantiam parere uidemus. In eum ocyſſime fortiſſimi
Principes, florentiſſimæq; reſp. arma ſumite, ne cun-
ctando latius ſerpat uirus. Non eſt hæc tanta rei bene
gerendæ opportunitas quanta neſcio an unquã poſtea
dabitur, omittenda. Nam breuiſſima eſt occaſio, quæ
optima, & ut inquit Maro,

Nunc tempus agi rem,

Cum apud hoſtes, & exercitus duce, & dux exercitu
careat, quod non temere a me dici quæſo diligenter
aduertite. Habet Mahometes iſte peditatum ex uariis
ſeruilibuſq; gentibus tam Aſiaticis, q̃ Europæis con-
flatũ. Nam qui genere Turcæ ſunt, eos omnes Aſiatico,

*Opportunum eſſe tempus ad expeditionem contra Turcas ſuſcipiendam.*

*Ex quibus copijs Turcarũ exercitus ſit conflatus.*

eſſe conſtat. Quam molles, autem,& imbelles Aſia gignere conſueuerunt, Græca, Latinaq; docet hiſtoria. Quippe omnes ignaui, deſides, effœminati, quales Aſiatici luxus, delitiæq; orientis educant, uix bombycinum pallium, & Sericeos ſinus uitando ſole tolerantes. Quid imbelles illi, & eneruati, aduerſus tam ualidas, & exercitatas Veteranorum copias ſint conaturi non uideo. At in exercitu Europæo aliqui ſunt ui, Turcarum impietati aſcripti, alii metu ſubditi, & hi propemodum omnes ex ſuperiore Mæſia, Macedonia, totaq; Theſſalia. Quorum ſors eſt admodum miſera, atq; erumnoſa, inuiti enim aguntur in pugnam. Ex his partim adhuc ſunt Chriſtiani, & nobis beneuoli, partim cum nuper fuerint, Turcis amici eſſe non poſſunt. qua igitur animi alacritate cum iis manus conſerent, quos optant fore uictores? quo e teterrima, & immaniſſima ſeruitute in libertatem ſe uendicent. Quos autem equites habet, hi ſagittarii ſunt omnes, breui duntaxat armati pelta, harpe, & claua, pauci haſtas gerunt, & eas quidem perbreues. Vt ad fugam alacres, & expediti, ita ad conferendas manus, pugnamq; ſtatariam minus idonei. Non illi compoſito, inſtructoq; agmine incedunt, ſed ut populatores improuiſi uelut e terra exoriũtur. Si occurratur effugiunt, inſultant incautis, repugnantes declinant, nullo loco conſiſtunt, nullo recto itinere aut irrumpunt, aut ſe recipiũt. Eſtq; omnis eorum (ut ſcribit Lucanus)

*Quibus armis, teliſq; Turcæ utantur.*

Pugna leuis, bellumq; fugax, turmæq; uagantes,
Et melior ceſſiſſe loco, quã pellere miles.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Qui uero inter eos illuſtriores habentur, galeas ge/runt non ferro quidem ductas, ſed papyro ferrumi/natas, & loco thoracum, induunt tenuiſſimis ſquamu/lis telas temere incruſtatas, ut non fortium uirorum, ac militum arma, ſed puerorum ludicra uideantur. Habentq; gladios recuruos, & in dorſum falcatos, at in mucronem auctos,& præponderantes, qui capuli libra/mento carent,& nec infigi cōminus, nec referri ſurſum queunt. Sagittas uero tenues, & inanes, arcus laxos, & anguſtos, deniq; arma,telaq; omnia ad Aſiaticū luxum molliciemq; concinnata. Addamus ſi libet ad priorem illam peditū colluuiem, Aſapidos nominăt,qui omnes remiges ſunt, inermes, obſcuriq; prædones. Nam pe/ditatus ille paulo firmior (Ianniſſarios uocant)quo quaſi præſidio quondam Mahometes & domi, & militiæ ſe/ipſum muniebat, ferme totus apud Rhodum,& in Syr/miis nuper eſt conciſus. Suntq; turcicæ uires adeo ex/hauſtæ, & exinanitæ,ut ad certam non pugnam,ſed ui/ctoriam ſit properandum. Cum ad debilitatem exerci/tus accedat imperatoris inſcitia. Aiunt (Athenienſem Chabriam dicere ſolitum) multo formidoloſiorē eſſe ceruorū exercitum,ductu Leonis, quā Leonum Ceruo duce. Quid hic non ſperandum eſt? cum & ipſi Turcæ quaſi cerui timidi,fugaceſq; ſint, & meticuloſiſſimo Do mino, eidemq; adoleſcenti impuriſſimo pareant. Qui totus eſt in potu,totus in alea,totus in uenere,qui ut libe rius ſubmotis arbitris inter Lenonum,& catamitorū gre/ges libidinoſiſſime uolutetur, ferociſſimum quenq; aut gladio, aut ueneno tollendum curauit. Adeo ut iam

*Turcarum Tyrannus, quã ſit ignauus,et effeminatus.*

omnis Turcarum ſpes,quæ in Selyno erat conſtituta,in eius filio nutet, & langueſcat. Recte is iubet, qui ait, Tempus noſce. Non eſt cōmittendum,ut fractæ, & extinctæ hoſtium uires,noſtra culpa reuiuiſcant, recreentur, inſtaurentur. Nec nos numerus terreat, qui longe minor eſt futurus,quam fama ferat.ſed ſint ſane quotquot Xerſes habuiſſe fertur,nonne Lacedemonii trecenti duce Leonida uniuerſum illius Regis exercitum, qui tot Myriadibus conſtabat, apud Thermopylas uerterunt in fugam,atq; ſuperarunt? Simillimum Gedeonis facinus qui itidem trecentis ex omni Iudæorum exercitu delectis, Arabum copias non minus numeroſas, quam Xerſis,inuaſit,& de eis,centum millibus cæſis ,uictoriam reportauit.Quid illud Dauidis? qui omnem Syrorum exercitum ipſe longe inferior numero deleuit,ac Regē Sebachū manu ſua interemit.Cuius laudis æmulus Imperator Heracleus ſingulari certamine prouocatus,Perſarum Regē occidit,& utriq;,ut duo illi Romani Coſſus,ac Marcellus, ex hoſtibus interemptis ſpolia opima retulerunt. Recentius illud Balduini,qui Regno potitus Hieroſolymitano ex ſacri nominis additione uocato, ducentis,& ſexaginta equitibus, peditibus uero noningentis, innumeras Barbarorum copias euertit, ut de his omnibus illud Vergilianum dici poſſit,

*Parua manu maximas copias ſæpe profligatas.*

Exigui numero, ſed bello uiuida uirtus.

Quid grex ille impurus ex imbellibus ſeruis conſcriptus Chriſtiano robori obeſſe poteſt? & ſi multitudo ſpei quippiam præ ſe fert,multo etiā plures noſtri futuri ſunt milites, nec unq̃ uires Principibus Chriſtianis

*Exercitus Chriſtianorum longe præſtare omnibus Barbaris.*

defuere, non modo ad omnem ſceleratam illam, & ſpurcam Turcarum ex barbarico ſterquilinio collectam colluuiem, ab uniuerſa Europa reiiciendam, & exterminandam, ſed ad impiam omnem Mahometicam ſectam radicitus extirpandam, & quicquid Barbarorum eſt ſub ſole, cum illis omnibus, tum armorum, tormentorumque genere & uarietate & copia, tum bellandi, pugnandique diſciplina, & peritia longe ſimus ſuperiores. Quippe omne genus Turcarum ab initio mercenarium, dubiisque originibus, fugax eſt, & ad cominus congrediendum inſolens, adeo effœminatum, ut uirile quicquam neque ſapiat, neque uelit. Et ubi in uiros incidunt, qui non terga, ſed frontem obiiciant, ſe celerrime ex hoſtium oculis proripiunt, nihilque potius habent, quam fuga ignominioſæ uitæ cõſulere. Nec eorũ appellanda ſunt bella, ſed latrocinantium ſubitarii tumultus, & prædandi occaſiones, imbecillitas mira, diſciplina militaris nulla, arma ridicula, res geſtæ ex perfidia. Quæret hic aliquis, ſi Turcæ tam imbecilles, quo ergo pacto ſubiugarunt tot opulentiſſima, maximaque regna? at cui dubium uideri poteſt Pygmeos illos (ut poetæ fingunt) gigantibus etiam ipſis futuros fuiſſe ſuperiores, ſi eos offendiſſent non repugnantes? Nihil eſt tam fragile, tam humile, tam abiectum, quod ubi negligitur, non afferat detrimentum, efficiaturque conſuetudine formidabile. O quam ſæpe paruis ueniunt ſumma mala principiis, ſic in ultimum pene Italicæ gentis excidium, effracto CN. Lentuli ludo, Mirmillonum agmen erupit, ſic bella urbi Romæ luctuoſa, Cilix pirata conflauit, ſic Spartaco, &

*Cur Turcæ tot uictoriis fuerint potiti.*

Viriato arma tenentibus, Romana pila ſeruilibus ergaſtu lis diu ceſſere. Non eſt ab re, de qua agitur, alienũ, quam miſere, noſtraq; magis culpa, quam aliena uirtute in has calamitates inciderimus, paucis attingere. Oriẽtis illud iã ætate, & longa quaſi ægritudine confectum imperium, ſua interiore tabe potius, quam ulla ui hoſtili defecit, uel uerius ultione quadam diuina, propter peſtiferum ſchiſma, quo ab eccleſia Romana diſſidebat, & quod Aſiaticæ delitiæ religionis puritate quaſi extincta repul lularant. Nec aliud fuit in cauſa, ut quatuor illæ Orientis eccleſiæ impiorũ uaſtationibus, iugoq; ſubiicerẽtur. Idẽ de uniuerſa Græcia dictum uolo, quæ nimis ſuis confiſa ingeniis a Latina pietate defecerat, & in omni uitiorum fœditate uolutabatur. Bizãtium autẽ urbem totius Thraciæ nobiliſſimam, & in loco ſitam admodũ opportuno, in ipſa ſcilicet Thraciæ ora, ubi modicus Euripus Aſiã ab Europa diſterminat, Mahometes induciarum tempore, omni diuino humanoq; iure calcato expugnauit, eiq; uniuerſam Romaniam adiecit. nam poſtq̃ Conſtãtinus Bizãtium in maius auxit, auguſtiuſq; reddidit, parte una Romani imperii illuc trãſlata, Coloniaq; deducta, unde Conſtantinopolis, & noua Roma cœpta eſt apellari, ob frequentẽ Romanorũ cultum & mores, qui in his terris inoleuerãt, pars Thraciæ multo maxima Romaniæ nomẽ eſt adepta, ſicq; hodie omnis maritima eius terræ ora Romania nũcupatur, ad Boſphorũ, Propontidẽ, & Helleſpontũ obuerſa, cui ſi Christiani principes, ut par erat, adeſſe uoluiſſent, qui nunc tantus terror a Barbaris immi net, nullus eſſet. Sub id quoq; tempus ſuæ ditioni ſube

*Qua prouinciæ, et per quos a Christiana rep. ſint alienatæ.*

*Conſtantinopolis quomodo amiſſa.*

*Romania Thraciæ pars quomodo amiſſa.*

*Pera, quæ olim Perinthus.*

*Triballi hodie Sirmii.*

*Mœſii hodie Raſciani.*

*Albani hodie Albaniſii.*

git Perinthum. hoc enim puto uerum eſſe nomen oppido, quod ſitum e regione Conſtantinopolis, Pera appellatur, licet alii Calcedoné, alii Galatam malint. Thraces uero ac Macedones, totaq; Theſſalia, & Triballi, quos nũc Sirmios, & Mœſii, quos Raſcianos uocant, ſolo perculſi metu, uoluntaria defectione in hoſtis poteſtaté uenere. Nam inferioré Pannoniam Stephani Regis uecordia, & ſtultitia perdidimus, qui ſe, ſuaq; omnia infideliũ fidei crediderat. Itidé & Albani, qui olim ab Illyricis ad Peloponnẽſes uſq; omnia ſubiugarunt ſpe ſocietatis allecti ultro libertaté amiſere. Hos aliqui Epiroticum, alii Italicum genus putant, utriq; ſatis abſurde, cum Macedoniæ ora ad Ioniũ uerſa, Albania nũc ſit, ab Albanis ſupra Colchidé & Iberiá degentibus appellata, Albaniſios uulgus uocat. Argos uero, & totá Peloponneſum, quæ etiam Argea a nomine ciuitatis eſt appellata Græcorũ Principum uitio perdidimus, quam Veneti non multo poſt ualidiſſima claſſe recuperatam, clade ad Chorintum accepta, deſerere ſunt coacti, omneſq; ab Iſthmo munitiones abducere. Qua quidem tempeſtate cum diſcordiarum facibus tota flagraret Italia, hoſtes Aeno urbe, ac Naupacto, quæ a pangendis nauibus, ſiue ab Heraclidarum naufragio nomen accepit (nunc Lepantum uocant) direptis, & ſolo æquatis, quicquid reliquũ fuit Aetoliæ, & Epiri, ſuæ tyrannidi adiecerunt. Nam cum Valachis, quos quidam falſo Boios putant, cum ſint Daci, & quæ nunc Valachia, olim Dacia fuerit appellata a Turcis æquis fere conditionibus eſt tranſactum. Proximis autem annis, dum efferata, & trucu-

*Valachia quæ olim Dacia.*

lenta inter nos arma conuertimus, illa Illyrici pars ab hoſtibus eſt intercepta quæ ultra Adrium eſt, ubi Dra/uus, & Sauus in Danubium fluunt; alter ex Noricis ui/olentior, Sauus ex alpibus Carniis placidior, Illyricum enim olim adeo late patuit, ut eam regionem Romani in prouincias decem & ſeptem fuerint partiti. in Dal/matia quoq; a Delminio per Naſicam euerſo nominata, magnam iacturā fecimus, & nationes omnes intra Iſtriā & Adriaticum mare ſitas in extremum diſcrimen con/iecimus.

*Illyrici pars, quæ eſt ultra Adrium.*

Quid nunc attinet inſulas, omnemq; oram maritimam recenſere? cum Turcæ olim a nauali dimi/catione tantopere abhorruerint, ut non tam homines, quam Simiæ in mari uiderentur, & ne quieto quidem Pelago, atq; tranquillo ratibus inſiſtere ſatis poſſent. Dum Chriſtiana claſſis piraticam exercet, & mutuis ſpo lis graſſatur Chalcide nobili Vrbe, cum uniuerſa Eu/boea, quæ olim propter commoditatem, receptacu/lum claſſis Perſicæ dicebatur (hodie Nigropontum uocant) expugnata, & direpta, deinde Leſbo Aeoli darum clariſſima, & Leucade fama belli Actiaci ce/lebrata, Zacynthoq; uno impetu captis, Rhodoq; nu/per intercepta, omnia Maria terrore, formidineq; com plerunt. utq; hæc omnia ad breuem ſummam redigam, Europa, ciuilibus incendiis flagrante, Chriſtianorum ali qui de improuiſo a Turcis laceſſiti, & ancipiti bello do mi, foriſq; diſtracti, & uexati, accipere conditionē ſunt coacti, quam Turcæ uoluerunt. Alii uero cum ſe circun uentos undiq; hoſtibus, infeſtiſq; armis intuerent, nihilq; in alieno ſubſidio ſpei poſitum, ærumnoſiſſimam ſerui

*Tot inſulæ, et loca marina quomodo amiſſa,*

tutē ſubiere. Omnibus Chriſtianis aut perculſis animo, & proſtratis, aut deſidiæ, luxuiq; ſtudentibus, aut inteſtinas diſcordias, atq; odia nutrientibus. Sic ignobilis illa Othomanorum domus tanta præda ex ſubiugatis hoſtibus mari, terraq; potita, ſe & uiribus muniuit, & Imperio decorauit, & per frequentem Chriſtianorum cladem adeo ſuam auxit tyrānidem, ut iam omnibus facta ſit terrori. Sed cur ultra diſſimulo? quid adhuc tergiuerſari libet? tam ingentis & pudendæ cladis plaga eſt detegenda. Nam & præſtantes medici non aſpernantur uulnera inſpicere, quibus opem adhibent ſalutarem, & lethaliter ægrotantibus uenenata pharmaca plerunq; admouentur. Deus, deus inquam, cū diu, multumq; populi ſui flagitia toleraſſet, tot tandem offenſus ſceleribus, Turcas ut furerent, & noſtris malis, damniſq; debaccharētur, excitauit, & gentem ſibi aduerſam, ſuiq; contemptricē in excidium noſtrum armauit. Quippe qui ab orbe condito per ſacros Prophetas minatus eſt, ſe ſuos inimicos ſuorum inimicorum auxilio ulturum. Nanq; abhinc circiter .lxxx. annis, hoc eſt poſt Sigiſmundum Regem ad Nicopolim cū tanta Chriſtianorū pernicie, & Francorum principum ludibrio fuſum, fugatūq;, tot regna ab hoſte immaniſſimo oppreſſa fidē Chriſtianā fruſtra implorant. Solet enim diuina iuſtitia in maximis hominum ſceleribus aliquando cōniuere, & ſero in facinoroſos animaduertere, ut ſeſe colligant, ad ſanitatēq; reuertantur, mox ubi nullū peccandi modū uidet, aſperiore plaga impios percutere. Quis reperitur, quē moueat Dei timor? quē fidei cauſa incitet? quē publica incolumitas

*Diuino iudicio Chriſtianos propter eorum ſcelera tot calamitatibus uexari.*

*Mores quam corruptos habeamus.*

a priuata incolumitate auertat? qui uel timore amitten-di ſua, uel cupiditate occupandi aliena, ab officio non diſcedat? Nulla inter Principes Chriſtianos concor-dia, nulla pietas, nulla tuendæ religionis cura, nihil aliud cogitamus, quam ſeditiones, & diſcordias alere, quam ut alius alium quotidie dolis, & inſidiis inceſſat. Nam ut uirtute præditi ſolent quietem amoremq; fouere, ita mali, & ſceleſti mutuis inter ſe odiis, diſcordiiſq; con-flictantur. Lætamur, atq; exultamus proximorum cla-dibus, negligentes noſtras, & per aliorum ignes con-flagrare etiam ipſi cupimus. Nihil eſt tranquilli, nihil pacati, uis, et arma ualent, ibi plurimum iuſtitiæ ubi plurimum potentiæ. cum maximo Chriſti contem-ptu pro paupertate immenſas opes, per alienas iniurias nobis comparamus. Pro miſericordia crudelitatem, pro iuſtitia immanitatem, pro manſuetudine ſuperbiam, pro pace pernitioſa bella amplexamur. Nec uno bello de-functi conquieſcimus, aliud ex alio ſeritur, et in immen-ſum trahimus inexplicabilem catenam malorũ. Inſacia-bilis cupiditas, pacem omnem, mentiſq; tranquillitatem eiecit, et hæc fortunæ, quæ exiſtimantur bona, calamita-tis plena, et miſeriis inuoluta, animum agitant, atq; per-turbant, Vbi uidemus Chriſtianos, Chriſtianis cõſulere? ubi charitate iungi? ubi utilitatem in commune pro-curare? Fuit olim Totila Rex Gothorum, qui ſupe-rato Pado totam pene Italiam deuaſtarat, et cædi-bus omnia compleuerat, huius Diuus Benedictus de-xtram complexus, atq; exoſculatus, non ueritus eſt eũ appellare flagellum Dei, utpote qui homo Barbarus,

*Totila Gothorum Rex.*

& immanis, perinde atq; publicus carnifex, diuino iudicio miſſus eſſet ad crimina Chriſtiani populi plectēda. At Tomyrides ille Maſſagetes cognomento Tamberlanus, qui primo bubulcus, deinde gregarius miles, magno fortunæ ludibrio totam pene Aſiam ſubiugauit. tam ferox, & immanis, ut in obſidionibus prima die candido uteretur tentorio, ſequenti rubro, nouiſſime nigro. candor pacem indicabat, ruber cædem, niger Vrbis, & omnium excidium. Is in obſidione cuiuſdam oppidi, cum tertia die pueri, uirgineſq; oleas in manu geſtantes egreſſi, illi ſupplices occurriſſent, ad unum omnes interfici iuſſit. Admonitus a quodam Genuenſi, ut mitius cū populis ageret, ſic eum facilius imperaturum, reſpondit, Quid? tu ne putas me hominem eſſe? & non Dei iram potius, orbiſq; uaſtitatē? Quod niſi cœlitus illuceſcens Deus ſaniorem mentem noſtris principibus infuderit, de Chriſtiana religione actum puto. Nanq; hactenus ii, qui Chriſtianæ reip. incolumitati, & conſulere maxime debuerunt, & iuuare plurimum potuerunt, per libidinem parandi, uel augendi imperii, diuina, humanaq; omnia perturbarunt. Nec requiſiti ſolum ad pacem, uerum etiā quaſi precibus fatigati, eam neglexerunt, quid neglexerunt dixi? immo contempſerunt, deſpexeruntq;. Quid enim quinquennales illæ induciæ a Leone. x. forti quidem, ſapientiq; conſilio, ſed euentu parum felici, promulgatæ profuere? Nonne cum tempeſtas, procellæq; bellorum uiderentur turbinem, uimq; omnem amiſſuræ, repente inopinati quidam, ſubitiq; fluctus inſurrexere, Ita ut ſuauiſſimum italicæ pacis ocium, quo tempore,

*Tomirides cognomento Tāberlanus.*

*De Chriſtianorum diſcordiis, et inducijs a Leone .X. promulgatis.*

quaſi poſtliminio rediiſſe credebatur, mox deterioribus conditionibus e ſedibus ſuis fuerit extruſum. et neſcio qua Erynni, quibuſue furiarum facibus maximum in/cendium per omne nomen Chriſtianũ diffuſum. O mi/ſera hæc noſtra, & inauſpicatiſſima tempora, Principes, Reges, Reſpublicaſq; Chriſtianas, aut metu, & ignauia quadam, ueluti ueterno contabeſcere, aut qui ſunt ſplen didioribus ingeniis, ad gloriãq; propenſi, infelici quo/dam ſydere, inteſtinis ſeditionibus, inimiciciiſq; ſeſe mutuo conficere. Ad utroſq; ſeorſum, diſiunctimq; no ſtra conuertatur oratio. Quid per deum immortalem tantum in uobis ignauiæ reſidet? qui tanquam ſperetis ſecunda omnia uobis torpentibus, & oſcitantibus euen/tura, nulla nec ope, nec opera, ac ne conſilio quidem, rem communem iuuatis. Qui uos tantus uel ſopor, uel terror inuaſit? ut quaſi mentis, ac ſenſus inopes, tam præ ſens periculum, ne a ceruicibus quidem ueſtris propul/ſare curetis. Nonne ſentitis Italiæ, Germaniæq; ueſtibu/la teneri a Turcis? pulſari fores? concuti? perrumpi? Nondum tamen reſipiſcitis, nondum excitamini, ut uo/bis ſaltem ipſis, poſteriſq; ueſtris conſulatis. Quid aliud per hos annos auditum eſt? quid aliud noſtras circunſo/nat aures? quã Turcas aliquam Chriſtianorum urbem oppugnaſſe, & diripuiſſe? aliquem noſtrũ portum occu paſſe? miſeros illos captos, & uinctos, in ærumnoſam ſeruitutem abegiſſe? hæcq; omnia conſpicientibus uo/bis, & quaſi nihil ueſtra intereſſet, nec ferre quidem opẽ cogitantibus. Obdormiuit neſcio quo pacto excelſum illud, & inuictum robur uirtutis chriſtianæ, ut etiã ſine

*Principũ Chriſtianorum deſidiã, ignauiãq; deteſtatur.*

prælio uincamur, & quicquid ignominioſi hoſtis libi-
dini, aut furori collibuerit, non pati ſolum, ſed perpeti quoq; ſimus parati. Quis non credidit Rhodo expugnata, uos tanta rei indignitate excitatos, integras ueſtras uires in extremam Turcarum calamitatem conuerſuros? At uos tam altus ſomnus inuaſit, ut Endimione magis ſomniculoſi euaſeritis, idq; uobis, quod equis meritoriis contigit, ut quo, quis magis illis admouerit calcaria, eo lentiores ſint, magiſq; cunctentur. Veſtra negligentia languidas illas, & eneruatas belluas, robuſtas reddidiſtis, & feroces, dumq; ocio ſtudetis tot chriſtianæ regiones, ac prouinciæ, teterrimo Turcarum iugo colla ſubiicere. Cauete ne dum deſidia, torporeq; diffluitis, eo res Turcarum euadant, ut non modo illos opprimendi, ſed ne reprimendi quidem, aut ſuſtinendi uobis facultas ſit. Nonne cernitis eos in ſinu prope ueſtro conſediſſe? ad idq; diſcrimē uos redactos, ut ſi diutius cūctabimini, uobis omnibus, atq; adeo toti Chriſtianæ reip. extremū ſit exitium breui affuturū? Quem quæſo, exiſtimatis rebus ueſtris, ſi uos ipſi defueritis, prouiſurum? Nonne ſcitis eam ob rem conſtitutos eſſe a Deo in terris principes, ut ſeruent, quibus præſunt? defendant, tueantur? eumq; optimum eſſe principem, qui idem in commune ſit utiliſſimus? Ponite ante oculos noſtræ fidei hoſtes, & illos ſaltem ad hunc excutiendum torporē imitamini, qui aſſiduitate, uſuq; bellandi tantum ſunt aſſecuti ut qui ex horrendis Caucaſi montis radicibus in Perſida, & Mediam enecti fame, & inermes ſe receperant, uobis cunctantibus tantū imperii ſibi pepererūt, ut non longe

*Ocium quantopere ſit fugiendum.*

ab Italiæ portis abſint. Nihil ocio uirtuti eſt infeſtius, nihil perniciofius. Ferunt Parthorũ reges, cũ a maioribus curis uacarent, iacula, & cuſpides, Europum Macedonis filium, Abacum, & lucernas fabricare conſueuiſſe. At Mahometem Othomanum cocleaɾia cælare, aut imagines delineare, ut ocium quoquo modo in negotium uerterent. Quod ſi homines agreſtes, ſi Turcæ uoluptatibus dediti, turpiſſimum ſibi ducunt, & pernitioſum quietem alere, atq; fouere ocium, quid facere decet Principes Chriſtianos, quorum religio plena eſt honeſtatis, planeq; diuina? Per glorioſiſſimas maiorũ ueſtrorum umbras, a quibus uos degenerare turpiſſimum eſt, & ignominioſum, in primis per ſalutem populi Chriſtiani, ad cœleſtem hæreditatem una uobiſcum uocati, per incolumitatem religionis, cuius cultu omnis humana felicitas continetur, in id unum incumbite, ut extremũ periculum a Chriſtianorum ceruicibus auertatur, ut tam turpes maculæ, quæ inſident Chriſtiano nomini, tandẽ deleantur, ut eos habeat Reſp. chriſtiana propugnatores, quos olim habuit. Nolite inultos pati tot miſeros, qui eo plus ſunt uobis debituri, quo gratius eſt liberari ſummo malo, quam iucundis rebus frui. Deniq; cogitate, niſi tempeſtiue tanto diſcrimini obuiam ieritis, quo in ſtatu ipſi futuri ſitis, & in quo poſteros ueſtros relicturi. Hæc ſatis ad deſides, iam diſcordes, mutuiſq; odiis æſtuantes alloquimur. Quis uos præcipites, ac furẽtes in exitiũ, & perniciẽ mutuã concitauit? adeo ne hoſtilibus inter uos animis, adeo numine infeſto uiuitis? ut omnia diuina, & humana peſſum ire ſinatis. Quid orbem chriſtianũ fallitis?

*Diſcordias Chriſtianorum eſſe exitiales, et inde Turcas adeo potẽtes factos.*

Quid inanibus titulis nobis illuditis? Nonne uos oportuit hæc glorioſiſſima cognomina ex maiorum ueſtrorum in Remp. chriſtianam meritis parta, non modo tueri, uerum etiam amplificare? quæ uel ſola, ad religionem propugnandam uos incendere, inflammareq; debent. Quid enim gloriamini nouum orbem inueniſſe? & quod in Aegeo mari ſemel contigit, ut Delos, quæ opertis fluctibus latitabat, repente inſula euaſerit, tot inſulas quaſi ſubito exortas in ditionem redegiſſe. Quid laudis uobis affert Oceanus antehac maiore ſui parte occluſus, nunc ueſtræ claſſi totus peruius, & nauigabilis? ſi permittitis Pannoniam, Delmatiam, Germaniam, ipſaq; Italiæ ueſtibula, Turcarū armis, incendiiſq; peſſundari. Sentitis ne adhuc omnem ueſtram inter uos belli gerendi rationem ſtultam eſſe, & inanem, quippe qui deteriori conditione ſiue uicti, ſiue uictores, futuri eſtis? Quod ſi uultis, ab ipſo initio rem omnem cōſiderare, ob cauſam leuiſſimam de finibus, & neſcio quibus inanibus titulis, incidiſtis in diſcordiam maximam, hæc in bellum, bellum in pugnas, & miſerrimas cædes. Quæ res tandem in mœrorem, & calamitatē, ac potentiſſimi Regis excidium eſt progreſſa. Vos in rep. chriſtiana ita uerſamini, ut nautæ diſſidentes in naui, qui ubi inter nauigandum contraria uelle cœperint, ſi uehementior aliqua uentorum uis incubuerit, nauis repente, & quæ in naui ſunt, pereant eſt neceſſe. Quo animo arbitramini eſſe Chriſtianos, qui adhuc Turcarum imperio adiacent? cū ſciant Taururum, & Rhodum, duo religionis propugnacula, quæ non modo ab omni calamitate, ſed a metu

*Nihil eſſe tam firmum, quod diſcordia non dilabatur.*

etiam calamitatis erant prohibenda, tot continuos men/ſes obſeſſa, & oppugnata, fruſtra opem, fruſtraqꝫ auxi/lium a uobis imploraſſe. Voſqꝫ miſerabiles obſeſſorũ preces aſpernatos, arma quæ in hoſtes ſtringenda erant, in ueſtra uiſcera conuertiſſe. Nonne credibile eſt eos ſpe omni deſtitutos, ſimul atqꝫ Turcarum exercitus au/dierint aduentare: tubarumqꝫ clangorem obſtrepere, hoſtibus obuiam ituros, ſupplices manus porrecturos, ſeqꝫ, & ſua omnia illorum ditioni, atqꝫ poteſtati per/miſſuros: Quod certe non iniuria facient, ueſtram im/pietatem, & minimum de chriſtiana ſalute ſtudium, in aliorum calamitatibus, atqꝫ periculis experti. Si uos re/centiora non tangunt, ſaltem Græcorum, Romano/rumqꝫ exemplo ad concordiam animum inducite, ne dum peruicacius digladiamini, & uos ipſos perditum eatis, & nauicula Petri, quæ tandiu fluctuat, naufragio prius obruatur, quam anchoris fuerit, rudentibuſqꝫ mu/nita. Salinator cum Tiberio Nerone a quo capitali odio diſſidebat, & Ariſtides Athenienſis, cum The/miſtocle, per quem ierat exulatum, in gratiam redire nõ dubitarũt, quo patriam ab imminentibus peri/culis facilius liberarent. Quippe qui intelligerent utili/tati publicæ nullo pacto per eos conſuli poſſe, qui pri/uato inter ſe odio diſſiderent. At M. Lepidus cum Ful/uio collega, die quo cenſor factus eſt, homine inimi/ciſſimo, ſtatim rediit in gratiam, & inimicicias, ſimul/tateſqꝫ depoſuit. Nihil eſt tam firmum, atqꝫ ſolidum, quod diuiſum non titubet, non cadat, non diſſipetur. quod Silurus diſſoluto uirgarum faſciculo, Cambiſes

*Exemplis anti quorum horta tur Chriſtia nos principes ad concordiam*

uero equina cauda per ſingulos pilos euulſa, perſpicue declararunt, Sed utroq; multo euidentius in domeſtico luctu rex Cyrus, qui mœrore, & ira percitus, quod in Euphrate eius filius eſſet ſubmerſus, quaſi ſupplicium de ipſis aquis ſumpturus, flumen in trecentas circiter foſſas deriuari, & a pueris traiici iuſſit, ita Euphrates, qui collectus, & integer cuiq; traiicienti fuerat formidoloſus, in tot diuiſus partes etiam a pueris contemnebatur. Pro inexpiabile ſcelus. Chriſtianos eiuſdem corporis membra, eidem capiti cohærentia, eodem ſancto ſpiritu uegetata, chriſtianos inquã, pari pretio redemptos, iiſdem ſacris initiatos, ad eãdẽ hæreditatẽ ex equo uocatos, in ſe gladios tam immaniter diſtringere, extremãq; perniciẽ, & cladẽ, inuicẽ aſſidue moliri. Habraamus, ut Deo fieret acceptior, ne unicum quidem filiũ dubitauit immolare, nec Moſes ſupplices deo preces effundere, ut ſe ipſum potius, quã Iudæorũ populũ interimeret, licet ingratũ. Vos ut Chriſti populus, tot cladibus eripiatur, ne tantillum quidem de iure ueſtro concedendum ducitis. Loth nec filias uirgines, alienæ libidini offerre dubitauit, cum aliter maioris flagitii contumeliam propulſare non poſſet. Vos patimini tam numeroſum Dei populũ obſcœnæ, atq; ſpurciſſimæ Turcarum intemperantiæ tam turpiter, tamq; flagitioſe ſeruire? Reſipiſcite tandem, Redite in gratiam, iniurias acceptas, atq; illatas obliuiſcamini, cohibete iram, ut conſeruare religionem poſſitis. Date has inducias Deo, quas uel mediocri daretis amico, date chriſtiano imperio, quod omnibus periturum eſt, ſi peribit, omnibus manſurũ, ſi manebit. Date ærum

*Omnia eſſe agenda, ut chriſtiana religio, et dei cultus defendatur.*

nis,& calamitatibus oppreſſorum, quæ tot ſunt, ut iam perferri amplius, ſuſtinerięʒ non poſſint, date iis, quibus prope impēdet exitium, qui ſupplices uobis manus tendunt, ueſtram implorant opem, ueſtris genibus aduoluti, ſe ſuaqʒ omnia commendant. Quod ſi non ſatis inuicē confiditis, ſi qua minus ſynceri reditus in gratiā ſuſpicio reſidet, nonne ſummum Pontificem ſponſorem,& ſequeſtrum eſtis habituri? cuius iuſtitiam, innocentiam, pietatem, nec Seres, nec Boſphorani quidem ignorant. Qui nihil aliud optat, nihil concupiſcit, quā ut ea ſibi facultas offeratur,& ille aliquando illuceſcat dies, quo & ueſtram concordiam, & Turcarum excidium intueatur. quæ duo ſunt inter ſe adeo iugata,& cohærentia, ut alterum recte fieri ſine altero nequeat. Quod ſi ſpes omnes in huius Pontificis induſtria, & ſapientia collocaueritis, experiemini neqʒ tranquillius ad quietem, neqʒ ad dignitatem pulchrius, neqʒ ad diuturnitatem accommodatius, neqʒ ad facultates accuratius a uobis ipſis prouideri potuiſſe. Eia agite ueſtra iam uexilla nonniſi Chriſtianæ pacis hoſtes territent. Veſter enſis nonniſi in Turcarum, Saracenorumqʒ iugula ſtringatur. Id ſi egeritis, quis explicet, quos ex impio Mahomete ſitis relaturi triumphos? quæ trophæa ex immani illa barbarie fixuri? quāqʒ late Chriſtianæ pacis fines prolaturi? Quod ſi forte noſtros monitus paruifacitis, ſi ingenio eſtis adeo immiti, adeoqʒ efferato, ut ex Reip. Chriſtianæ ruina, atqʒ interitu nil moueamini, ſi ſine gemitu,& dolore intueri poteſtis, non ut ſcribit ille,

*Quantopere ſummus Pont. ad concordiā componēdam ſit idoneus.*

Pares aquilas, & pila minantia pilis.

Sed paria ſacroſanctæ Crucis uexilla, in extremū Chri/ ſtianorum excidium erecta, cogitatione ſaltem fingite (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, & quæ uolunt, quaſi oculis intuentur) Romam religionis parentem hic coram adeſſe, quæ ſi loqui poſſet, uos ad fidei propu/ gnationem, mutuāq; concordiā his uocibus hortaretur.

*Roma loquitur, et Christianos principes ad concordiam et fidei defenſionē inducit.*

Heu impiam, funeſtam, ſanguinariam Turcarum gen/ tem quæ tot cladibus, tot ærumnis, tot calamitatibus me quotidie afficere non ceſſat. cernite me undiq; Tur/ carum telis confoſſam. heu quam indigna, quā loc talia tot iam annis uulnera accepi a Turcis. Turcis meorum populorum clades, Turcis agrorum depopulationes, Turcis urbium oppugnationes impunitæ, ac liberæ fue/ runt. Turcæ non ſolum fidei maieſtatem labefactare, ſed ſanctiſſimum Christi nomen omnino delere con/ tendunt. Me miſeram, atq; infelicem, quando aliquem inueniam, cui ſit curæ ſalus mea? qui tantas miſeratus calamitates labenti Christianæ reip. opem ferat? qui meas preces, meas querelas non aſpernetur? Accurrite per Deum immortalem, o mei alumni, accurrite, & dextram mihi ſalutarem porrigite. quod prius fides, & pietas debuerat, iam cogit neceſſitas. Dum adhuc uiui/ mus, dum ſpiramus, dum Christianam remp. licet lace/ ram, & exanimem in poteſtate tenemus, abiicite, uel extinguite potius omnem animi ardorem, omnes iniu/ rias Christianæ religioni condonate. Videtis ne uobis inter uos digladiantibus, hoſtiū uires indies inualeſcere, & noſtras deteriores fieri? Videtis ne Turcas ipſos tan/ quā ex altiſſima aliqua ſpecula ueſtras diſcordias obſer/

uantes? qui nihil aliud expectant, moliuntur, agunt, quã uos laſſos, & milite pecuniaq; exhauſtos, improuiſos, inopinatoſq; opprimere. Videtis ne ſi diutius his odiorum facibus ardebitis, ultimum caſum chriſtianæ reip. eſſe ſubeundum? Faceſſant procul bella hæc inteſtina, quæ uos gloria ſpoliant, tranquillitate priuant, diuturnitate conficiunt. Quod ſi adhuc ignoratis diſcordiam malorum omnium, ac miſeriarum fontem eſſe, atq; originem, exemplum de me capite. Quid olim me una Roma fuit illuſtrius? Ego belli, paciſq; diſciplina, & domi, & foris iuxta inſignis, eo iam magnitudinis excreueram, ut nulla re prorſus ad ſummam felicitatem egere uiderer, quippe quæ Solis ortu, atq; occaſu limites imperii terminaram. Sed poſtquã mei ciues partium ſtudia fouere, factiones complecti, peſtiferas æmulationes, ambitioneſq; alere cœpere, in præceps collapſa dignitatẽ ſimul cũ imperio amiſi. Perniciosiorq; mihi fuit ſectus in contrarias partes ciuium fauor, quam aut portis imminens Pœnus, aut receptus mœnibus Gallus, fuitq; meis ciuibus Alienſi die funeſtior Emathia, & Cannis Collina flebilior. O ærumnas, o temporum calamitates, eo iam miſeriarum deuentum eſt, ut ignobile illud, & agreſte Turcarũ uulgus, ex fugitiuis ſeruis propagatũ, longe, lateq; in populos Chriſtianos imperitet. Illi, illi inquã fugitiui Hieroſolymã, uniuerſamq; Iudæã tot Patriarcharum, & Prophetarum patriam, & illibatæ Virginis, eiuſq; dulciſſimi filii domicilium, ſacratiſſimũ illud Mauſoleum, in quo Chriſti Ieſu membra diuinitati coniũcta quieuerũt, Mahometica impietate prophanãt.

*Diſcordiãs Romanum imperium corruiſſe.*

*Deflet chriſtianæ religionis oppreſſionem.*

Heu uos miſeros, atq; infelices, ſi tot uulneribus, atq; cladibus affecti, nondum reſipiſcitis, & ueſtras, ſummiq; Dei iniurias non ire ultum curatis. Mei olim ciues quencunq; deprehenderant Remp. uel mediocriter labefactantem, his ſuppliciis affecerūt, ut aliqui ex Tarpeio ſaxo fuerint præcipites dati, aliorum bona publicata, huius domus ſolo æquata, illius nomen poſteris interdictum. Vos chriſtianam libertatem funditus euertentes, nec minimo quidem digito attingere curatis. Illi nullam mearum urbium obſidionem inultam reliquerunt, uos celeberrimas urbes expugnari, & diripi patimini? Illi cuncta odiorum irritamenta defendendæ reip. cauſa depoſuere, uos dum priuatis ſimultatibus ſtudetis, Chriſtiani nominis prouincias diripiendas, atq; inflammandas permittitis. Illi ne minima quidem parte imminutam Reip. dignitatem tulerunt. Vos tot urbium expugnationes, tot prouinciarum direptiones, tot Chriſtiani populi cædes æquo animo toleratis. Quid? quòd meorum pleriq; ſuos filios, atq; adeo in conſpectu uirgis cædi, & ſecuri percuti iuſſerunt, ne quid de publica dignitate amitteretur. At alii pro Reip. libertate ſe ipſos uoluntariæ morti deuouerūt, Vos patimini uniuerſum Dei populum obſcœnæ, atq; ſæuiſſimæ Turcarum impietati turpiter, flagitioſeq; ſeruire. Quæ eo indignius ſunt ferenda, quod illi huius mundi gloria, ea feciſſe uidentur, & eius honeſtatis ſtudio, quā popularis fama commendat, quæ quantacunq; ſit, tota eſt breuis, planeq; caduca. Vobis autem chriſtianam pietatem tuentibus, cœleſtis illa, & ſempiterna gloria debetur. Quod ſi

*Priſcos Romanos in curāda rep. noſtris fuiſſe diligentiores.*

*Chriſtiani Principes quantopere religionem tueri debent.*

eſſe hi uultis, qui eſſe debetis, pro ſalute Chriſtiani po/
puli diu, multumq; ab impio Mahomete flagellati, atq;
attriti. Vos glorioſæ morti, quam ſecutura eſt immor
talitas, intrepide, alacriterq; exponite, Chriſtũ Ieſum imi
tati, qui cum Deus eſſet, & Dei filius, quo illius origi/
nalis delicti, & perpetuæ culpæ, uos inexpiabili facino/
re liberaret, pudendam, acerbiſſimamq; mortem ultro,
& perlibenter ſubiuit. Hæc ſi Roma in aliquo Areopa
gitarum conſeſſu, publicam religionis cauſam agens,
uobiſcum expoſtularet, quis Aeſchines, quiſue Demo
ſthenes, uel (quoniã inter latinos res agitur) quis Craſſus,
aut Cicero uos a ſeueriore ſententia eripiat? Has tu tem
peſtates Max. Pont. (ut ad te iam redeam)

*Pontifex uſq; ab initio ſui Pontificatus quam fuerit Chriſtianæ reip. componendæ ſtudioſus.*

Stans alta in puppi,

Velut Palinurus aliquis longe prouidens, cum primum
es in Apoſtolici ſolii maieſtate cõſtitutus, ad nihil aliud
animum conuertiſti, q̃ ad fulciẽdam, corroborandamq;
Chriſtianam remp. quam uidebas breui perituram, ubi
minus ei mature, fortiterq; ſuccurratur. Iccirco princi/
pium tui pulcherrimi Pontificatus a pace inter Princi/
pes concilianda es auſpicatus. Quo quidem nomine,

*Archipræſul Campanus.*

Archipræſulem Campanum uirum ea prudentia, ea mo
rum elegantia, ea probitate, ut ſupra nihil addi poſſe
uideatur, cuius omne ſtudiũ eſt in his artibus, atq; diſci/
plinis, quæ ad bene pertinent, beateq; uiuendum, ad
Hiſpanias, Galliamq; ac Britanniam delegaras, ut il/
la belli fulmina, qua pollet dicendi ſuauitate, non ſe/
cus ab omni pugnandi impetu abduceret, q̃ a Thimo/
theo muſico ferunt Alexandrum Regem ab armis ad



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Ioannes Mattheus Gibertus Præſul Veronenſis.*

conuiuium reuocatum. Aſt ubi iam alpibus a Gallo ſu/peratis, tota Inſubrum regio nouis bellorum facibus æſtuare cœpit, paſſus es Ioannem Matthæum Gibertum Præſulem Veronenſem, integritatis, ac prudentiæ ſpeci/men, a latere tuo diuelli, ut eius ingenio, quo nihil eſt acutius, nihil huberius tanti motus ſedarentur. Hoc eſt uerum Summi Pontificis opus, reconciliare æmulos principes, tumẽtes populos non tam imperio, q̃ ratione compeſcere, infectum reddere, quicquid fieri non opor tet. Non ut alii quidam, qui ueluti publicæ quietis ini/mici, ad perturbandam, inflammandamq; Italiam arden/tiſſimis bellorum ignibus, tantum theſauri abſumpſere ob nullam aliam cauſam, q̃ ut ſuos magnos, & præpo/tentes redderent, cum calamitate, & cladibus eorũ, quos iuuare maxime, amplificareq; debuerunt. Sed licet ſalu/taribus tuis monitis nondum omnino fuerit obtempera/tum, quoniam animus iracundia, uelut morbo impeditus delectum boni non habet, tamen cum fœdus nuper (quod felix, fauſtumq; ſit) cum tribus potentiſſimis to/tius chriſtianæ Reip. Principibus inieris, non eſt deſpe/randum fore, ut breui reliqui quoq; reſipiſcant, & reli/ctis ſimultatibus, publico malint bono ſalutiq; conſule/re, q̃ per extremas demum ærumnas, ſpurciſſimis barba ris eſſe ludibrio ſempiterno. Incumbe modo, ne quid deſit, ad perpetuæ pacis ſtabilitatem, ac robur, & ad tol/lendam omnem belli non ſolũ cauſam, ſed etiam ſuſpi/tionem. Quod licet in tanta uarietate animorum optare longe ſit, q̃ ſperare facilius, quippe quod non humani, ſed diuini potius fauoris, opiſq; indigeat, ſpes tamen

*Summi ſpem pacis inter Chriſt. componendæ eſſe in ſummo Pon.*

non leuis eſt iniecta,tua poſſe diligentia,prudétiſſimiſq́ conſiliis breui pacatam reddi chriſtianã Remp.planeq́ incolumem. Tuoq́ Pontificatu fore,ut quicquid ubiq́ eſt impuritatis barbaricæ, aut ad ſanitatem,aut ad inter/nitioné redigatur. Intelligunt omnes in tua unius ſalute, & dignitate totius populi chriſtiani dignitaté hac tem/peſtate,ſalutemq́ repoſitam. Religionis uulnera curare, tu potes ſolus,mederi ſolus. Vtere authoritate illa apo/ſtolica,quæ per uniuerſam religionem chriſtianam uene rabilis habetur, & ſacroſancta. Et ea ciſalpinæ Galliæ parte,quã Inſubres incolunt iam pacata,tuos ſapientiſſi/mos cogitatus eo conuertas, ne qua nouæ tempeſtatis uis ingruens,iterum concutiat,& perturbet Italiam. Nec enim ulli bellorum fluctus in ea poſſunt inſurgere, quin aliæ quoq́ regiones, & prouinciæ exitialibus procellis æſtuent. Te duce, & auſpice,

Claudantur belli portæ.

*Ex pace conciliata quantũ gloriæ ſit ſummo Pont. acceſſurum.*

Omnis inter chriſtianos pugnandi furor de medio tol/latur. Plus ueræ gloriæ & celebritatis Numa Pompilius Iani templo per tranquilliſſimam pacem occluſo, ſibi peperit,q̃ omnes reliqui reges tot uictoriis,totq́ inſigni bus trophæis illuſtrati. Pluſq́ Cæſari Auguſto belli por tæ bis clauſæ, q̃ tot acti de multis hoſtibus triumphi, ſplendoris, ac dignitatis attulere. Tu Max. Pont. ut opibus Crœſum, triumphis Pompeium,copiis Xerſem. Victoriis Traianũ præcedas, nihil tamé tibi maius dare poſſunt ſuperi,quã ut publicæ pacis author & ſis,& ha/bearis. Quid eſt aliud pax quã animi tranquilla liber/tas? cuius, & nomen ſuauiſſimum eſt, & res ipſa ſalu/

*Laus pacis. et Pax quam ſit neceſſaria.*

taris. Hæc cunctis placida, odiorum neſcia, æmulationis uacua, ſimultates aufert, iras ſedat, diſſidentes componit. Hanc qui aſpernatur in lubrico ueſtigium figit, & nauē tempeſtati, ſemen harenæ committit. Nam (ut ſcribit Tragicus quidam,

Pacem reduci uelle uictori expedit, uicto neceſſe eſt.

In ſola pace ſita eſt Chriſtianorum omnium ſalus, quā ſi quis tollat, chriſtianam religionem tollet, libertatē communem tollet, una opera tuebimur utrunq;, una utrunq; amittemus. Si a rebus pacē auferas, ſolem ipſum e mundo ſuſtuleris, maximoq; illo elemētorum corpore diſſoluto, omnia miſceri, diſtrahi, confundi, & in antiquum illud chaos reuerti conſpicies. Pacis eſt quod frigora, & & calores alternatim ſibi cedunt, & ſuccedunt. Pacis eſt, quod ſol, luna, ſydera, ſtellæq; omnes, & immenſi cœli orbes ſtabili, perpetuoq; tenore curſus conficiunt ſuos. Hæc uelut catena illa Homerica per æthera, ignē, aerē, aquam, terram, in mortalium pectora delapſa, firmiſſimo nexu cūcta deuincit, & cōcordiæ uinculo coercet. O diuina concordiæ uis, quæ diſſipata connectis, infirma corroborans, labefactata erigis. Concordia illi Deo, in cuius poteſtate ſunt omnia, tanto eſt acceptior, quāto ipſe magis concordiæ nexu cœlū, maria, terras, & quicquid his continetur gubernat. Nōne hæc tua uerba ſunt mitiſſime Ieſu, cum diſcipulis erudiendis ex tuo ore dulcior nectare fluebat oratio: Beati pacifici, quoniam ipſi terras poſſidebunt. Nonne quos per adoptionem cœleſtis regni conſortes effeciſti, in cœlum aſcenſurus hac hæreditate locupletaſti: Pacem meā do uobis, pa/

*Solius Dei eſſe pacē largiri.*

cem meam relinquo uobis. Et quia (ut teſtatus es) eam
mũdus dare non poteſt, ſupplice uoce, ac mẽte ſyncera,
Pacem te poſcimus omnes
Velati ramis oleæ, ueniamq; precantes.
Effice rerum arbiter, & moderator deus, qui in profun-
dos animi noſtri receſſus tete inſinuas, interioremq; to-
tum hominem ſcrutaris, ut hoc ſacro Iubilei anno iam
a Moſis uſq;, & Habraami tempeſtate figura quadã, ra-
tioneq; diuina per te conſtituto, quem e uita decedens
Vicario tuo, cum indulgentiarum largitate diſtribuendũ
reliquiſti, nos tui ouilis greges, uocem audientes tuam,
pacis afflatu exhilarati, cum Propheta canamus, Iubilate
Deo omnis terra, date gloriam laudi eius, & demum, ut
ſcribit Poeta quidam tui nominis obſeruator,
Chriſticolæ læto fundant pia iubila cantu.
Hac certe pace perfruemur, non ſi,
Multa bouum circa mactemus corpora morti,
Setigeroſq; ſues, raptoſq; a matribus agnos.
Quod ſi ueteres illi a chriſtiana religione prorſus alie-
ni, tamen uictimarum, ſacrorumq; omnium illud eſſe
optimum, & ad litandum efficax iudicarunt, ſeſe ſan-
ctiſſimos, iuſtiſſimoſq; præſtare, hiſq; artibus ſuperos
facilius, quã pecudum cæde, atq; cruore placari, propi-
tioſq; reddi, quid nos facere oportet ueræ pietatis
alumnos? quos ita edocet Propheta. Sacrificium Deo,
Spiritus contribulatus, Cor contritum, & humiliatum
Deus non deſpicies. Nonne deum ſemper pia, integra,
incorruptaq; & mente, & uoce uenerari? Nonne ſuppli
cia, lachrymas, reliquaq; pietatis officia aſſidue offerre?

*Deum rogat pro communi Chriſtianorũ concordia.*

*Qua ratione a Deo pacem impetrabimus.*

noſq; his armis, uelut ex Vulcani officina deprompt is ad propulſandum, & reprimendum conatum omnem, impetumq; Turcarum munire? His olim armis Iſraeliti/ cus populus in libertatem eſt aſſertus. His Pharao cum innumero exercitu fluctibus coeuntibus obrutus. His Holophernes uictus. his fratres Machabæi tot uictoriis potiti. ſic Ioſues ſolis, & lunæ curſum frenauit, ſic Heliæ cœleſtis affuit flamma, ſic Conſtantino ſignum Crucis pro uictoria de cœlo eſt datum, ſic Theodoſio uenti, ac tempeſtates militarunt. Omnis noſtra ſalus (ut inquit Propheta) poſita eſt in conueniendo populos in unũ, & reges, ut ſeruiãt domino. Nobis enim puro, & pacato animo ad cœleſtem opem, auxiliumq; Niniuitarũ more confugientibus, iuſta Dei ſeueritas ad ſolitam eius mi/ ſericordiam deflectetur. Sed ut ad expeditionem Tur/ cicam a qua non intempeſtiue uidemur digreſſi, redea/ mus, non alienum ab inſtituto eſſe arbitror eius gentis originem altius repetere, quæ eſt adeo dubia, & obſcura, ut terræ filii dici poſſint. Sũt qui Turcas inter Sarmatas Aſiaticos enumerent, eoſq; tradũt ex Caſpiis montibus a finitimis pulſos, in Perſidem, & minorem Aſiam de/ ſcendiſſe. Alii nomen fortaſſe ſecuti, a Turce Perſarum Vrbe, magna & opulenta eam gentem initium habuiſſe credidere. Alii eos Parthorum progeniem autumant. nec deſunt, qui Turcas ex Arabia, quiq; ex Syria oriundos arbitrentur. Vero eſt ſimilius eos origine Scythas eſſe, & (ut antea meminimus) ex Caucaſi montis radicibus, ua/ ſtas olim habitaſſe ſolitudines. Nam fuerunt fama tam obſcura, ut in bello, quod Heraclius Princeps aduerſus

*De prim Tur- carum origi- ne eorũq; ſuc- ceſſione, et progreſſu.*

Coſdram Parthorum regem geſſit, uix ſit eorum nomē auditum. Qui temporis progreſſu alia, atq; alia appetendo in Perſas, & Medos, uſq; ad portas Caſpias pceſſere. Saraceni, qui tunc longe lateq; in Aſia imperitabāt, adeo ut illos rebellātes Traianus tempeſtatibus, & fluminibus reiectus ſuperare non potuerit, Turcas permiſere in Perſide ſedes figere, ſed ea lege, ut Mahometicis initiarentur ſacris. prius enim Turcæ more reliquorum Scytharum idola coluerant. Vnius itaq; ſuperſtitionis uinculum ita utranq; gentem copulauit, ut Saraceni pro Turcis, & Turcæ pro Saracenis indiſcreta appellatione aliquandiu uocati ſint. Saracenos uero (ut hoc obiter attingam) eoſdem iudico, qui alio nomine Agareni uocabantur, cuius ſententiæ author eſt Auguſtinus, qui eos ab Agar ancilla Habraami, Agarenos dictos putat, deinde, a Sara coniuge ſe Saracenos appellari maluiſſe. Hi cum Turcis uixere ſimul promiſcue uſq; ad Othomani tempora, qui a Galatiæ oppido, in quo natus eſt, id nomen accepit, homo uehemens, acer, & factioſus, conflata per ſeditionem multitudine, ſe primum eius gentis regem conſtituit. Nam antea Turcæ uagi, & diſperſi ſine duce, ſine legibus præda, & rapto uiuebant. Hic regnum malis artibus adeptus, ſe omnibus æque finitimis præbuit infenſum, cuius conatibus proſperum euentum Chriſtianorum diſcordia dedit. Nanq; Bithyniam, & fere omnes circa Pontum prouincias ſuæ fecit ditionis, ac Pruſiam quæ eſt Bithyniæ caput, frequenſq; Turcarum Emporium ſibi ſedem elegit, ubi domus Othomana uſq;

*De Saracenis, et unde eorum nomen.*

*De Othomano, et eius progenie, ac poſteritate.*

Orchanes Othomani filius.

Amarathus Orchanis filius.

Paizetes primus.

ad Bizantium caput, regiam habuit, ſed eam corrupto a barbaris uocabulo Burſiam pro Pruſia uocant. Huius filius Orchanes chriſtianis alia curantibus partim dolo, partim uolũtaria popularium defectione uſq; ad Helleſpontum, ac Euxini litora, & regnum, & arma propagauit. Ex eo progenitus eſt Amarathus, qui omniũ primus in Europam a Chriſtianis accitus cũ magno noſtro dedecore, ſed maiori diſpendio exercitum tranſmiſit, nã duobus Palæologis de imperio decertantibus, qui inferior pugna fuerat, ad eius opem confugit. Barbarus occaſionem Europæ inuadendæ nactus, impigre cum auxiliaribus copiis tranſfretauit. Sic bello in Græcia redintegrato hoſtis æque uicto, uictoriq; exitio futurus, tandiu bellum traxit, quoad rebus ambarum partium diuturna dimicatione fractis, Calipolim Thraciæ urbem in extremo Helleſponti a Caligula olim ædificatam, per inſidias occupauit. Deinde maioribus copiis auctus, quas ex Aſia ſibi acciuerat, Thraciam, ac Macedoniam e Chriſtianorum faucibus eripuit, cuius prima pars (ut antea diximus) continet Albanos a Ptolemæo tantum ex ueteribus nominatos, nec ullius in Europa gentis latius excurrunt fines, q̃ Macedoniæ, quippe quæ ab occaſu Ionio mari, ab ortu Aegeo, ab aquilone Dalmatia, & ſuperiore Moeſia, a meridie Epiro terminatur. Pariq; ſucceſſu Beſſos, & Triballos, loca infra Rhodopen, & Orbelum incolentes ſine ullo certamine ſibi adiunxit. Ac demum ſuperiorem Moeſiam ingreſſus, cũ Lazaro Deſpote in Coſſuniis campis congreſſus, ac ſub inguine foſſus occubuit. Huic ſucceſſit Paizetes, de quo

mox plura. cuius filius Cyricis, uel ut a quibuſdam uo- catur Calepinus dubiam Martis aleam ſæpe expertus, obiit ſuperſtite filio Orchane pupillo. Quem tutor, & patruus eius Moſes, cupiditate imperandi de medio ſu- ſtulit, moxq; ipſo ſine liberis decedente in Mahometem fratrē regnū eſt tranſlatū. inde cœpta eſt Othomanæ do mus conſuetudo, ut cœteris interfectis, unus tantum in ſucceſſionem relinquatur. Dicunt enim neq; plures in cœlo eſſe Deos, neq; plures in terra debere admitti re- ges. Mahometi ſucceſſit Amarathus, hic Theſſalonicē, quæ eſt in ora Macedoniæ, diui Pauli epiſtolis notiſſi- ma Canaſtroq; tantum flumine ab Apolonia diuiſa, Ve netis bello eripuit. Et (ut omittam illas bonarum artium magiſtras & inuentrices Athenas ſolo fere æquatas) uni- uerſam Atticam regionem, cū Megarenſi tractu ſuæ di tioni ſubiecit, quæ nunc uno nomine Sethinæ ſunt, no- men haud dubie ab Athenis ductū. Deinde Phocidem olim Delphici Apollinis oraculo illuſtrē & Bœotiam, quæ iam ducatus nomen obtinuit, Aetoliam, nunc De- ſpotatus, Acarnaniam quam Achelous fluuius ab Aeto- lia diuidit, & omnes circa Peloponneſum gentes, uſq; ad Corinthiacum ſinum incruento gladio recepit. Pelo- ponneſum quoq; (quæ hodie Morea dicitur) uoluntaria popularium defectione obtinuit, & Epidaurum Aeſcu- lapii delubro celebrem, funditus euertit, quam Strabo Epicarum dicit, quod cares eam tenuerint. Fuit enim & alia Epidaurus, in Illyrico mari ſita, Romana colonia, & a Græcis diruta, ex cuius ruinis Rhaguſia iuxta ædi- ficata, libera ciuitas, tantum ipſis Turcis tributaria.

*Cyricis primus.*

*Orchanes ſecundus.*

*Mahometes Moſis frater*

*Amarathus ſecundus.*

*Mahometes ſecundus.*

Amarathus iam ſenio confectus, filio Mahometi adhuc puero regnum per manus tradidit, qui Conſtantinopolim chriſtianis Principibus, tantam mali creſcentis molem negligentibus in poteſtatem redegit, et Paphlagoniam ingreſſus, Sinopem prouinciæ caput, omnemq; Paphlagoniam obtinuit, Sinopenſi Regulo quodam Iſmaele ſe ſponte Mahometi dedente. Deinde ad Trapezum animũ adiecit, Vrbem Regiã, Emporiumq; Colchorum, ubi olim Pontus fuit, quæ iampridem a Conſtantinopolitano erat alienata imperio, ob ſubitã Præfecti defectionẽ, qui per ſũmũ ſcelus prius Regis, poſtea etiã Imperatoris nomen aſſumpſit, quanuis Herodotus Ceraſontem, & Trapezontem Sinopenſiũ colonias uocet. Vtcunq; res ſe habeat, eam Vrbem terreſtri, naualiq; prælio oppugnatã pari ſucceſſu domuit. Huicq; inſulã Mithylenem adiecit Arionis carmine nobilitatam, quã hodie una cum tota Lesbo Metellinũ appellant. Parũq; abfuit, quin etiam Naupliam expugnaret olim Argiuorum nauale, nunc mutato nomine Neapolim Romaniæ uocatam. His ex ſententia geſtis, Trapezuntium Imperatorem, una cum Ponticæ oræ, & Cappadociæ Principibus, liberis, uxoribus, Bizantium, uelut in triumphũ egit, ductos interemit, multitudine eodem tanq̃ in coloniam deducta. Eo defuncto ad filium Paizetem delatum eſt Imperium, huius tyranni auum. Nec in hac tota Othomanorũ ſerie ullus eſt repertus, qui animi magnitudine, aut copiarum robore ualuerit, uerſutia tãtum, atq; dolo malo cuncta ſunt adorti, & geſſerũt. Quotienſcũq; uero res eis fuit cum uiris, locuſq; prudentiæ, ac fortitudini

Paizetes huius tyranni auus.

*Quanta clades Turcis fuerint ab eorum hoſtibus illatæ.*

eſt datus, ſemper reperti ſunt inferiores. Vtq; aliqua proferam exempla, ne quis amplius eas laruas, uel non/ dum uiſas formidet, Tomyres, cuius antea meminimus, Paizetem Cyricis patrem in Aſiatica Myſia cũ ingenti equitatu, peditatuq; extrema clade perculſum proſtra/ uit, ac in pugna captum, aureiſq; catenis uinctum in ca/ uea ferrea omnibus ſuis expeditionibus præ ſe egit, et per uniuerſam fere Aſiam in ludibrium circuntulit, de/ mum pecudis ritu luctuoſiſſime mactauit. At Albani & alias ſæpe, & memoria noſtra Duce Alexandro, qui Tur/ carum lingua Scander dictus eſt, Turcas non modo ſuſti nuerũt, ſed ultro adorti maximis ſæpe cladibus affecere. Mahometem uero, qui Bizantinum, & Trapezuntium euertit imperium, Droulas Dacorum dux nocte intem/ peſta cum ſex millibus equitum, pariq; peditũ numero aggreſſus, tanta clade affecit, ut eius exercitus fere totus fuerit conciſus, paucis equorum pernicitate ſimul cum Mahomete ſeruatis. Noſtra memoria Iſoncaſſanus eorũ rex Colchorũ, qui apud Phaſim fluuiũ degunt cũ prius per legatos Mahometi denunciaſſet, ut ſe Cappadociæ finibus abſtineret, quã Alis ab oriẽte, Thermodon a me/ ridie terminat, ita uniuerſum eius exercitũ in Armenia, & Meſopotamia peſſum dedit, ut Mahometes uix exan gues, & ſemianimes copiarũ reliquias Bizãtiũ reduxerit. Et ſub id fere tẽpus in Cilicia, & circa Taurũ montẽ Car manus uniuerſam eius gentẽ afflixit, & ad fœdiſſimã fu gam coegit. Vt iam me pudeat, Chriſtianorũ magnitudi nẽ, eũ ſibi hoſtẽ intolerabilẽ perſuadere, quẽ tã imbelles nationes ad internitionem ſæpe mulctarunt. Præterea

*Tomyris de Paizete uicto ria.*

*Albanorum uictoria.*

*Droula Dacorum ducis uictoria.*

*Iſoncaſſani uictoria.*

*Carmani uictoria.*

*Sophitis uictoria.*

*Ioannes Huniades quam ſæpe Turcas profligauerit.*

*Cyricis quam ſæpe a noſtris debellatus.*

*Venetorum in Chriſt. remp. merita.*

tot ſtrages in mari acceptas,& claſſem pene totam a Solis Piratis plerunq; abſumptam. Quis ignorat Iſmaelem Perſen, quem Sophitem uocant, ſolius Mediæ, ac Perſidos uiribus, equitatu, & eo quidem modico, omnem Turcicam rabiem ſæpe repreſſiſſe, contudiſſeq;. Et ne quis arbitretur barbaros tantum de Turcis triumphaſſe, Amarathus a Ioãne Huniiade Matthiæ regis patre ſæpe fuſus, fugatus, & ſuperatus eſt. Tanta demum clade apud Varnam affectus, ut ſi Vladiſlaus rex animoſus magis, q̃ callidus eius conſilio paruiſſet, actũ erat de Amaratho, & de omni Turcarum tetra, ignominioſaq; tyrannide. At Mahometes eius filius ab eodẽ Huniiade apud Mœſorum arcem, olim Taururum appellatam, in Saui, & Danubii confluentibus ſitam, hodie Belogradum, & Albã græcã uocant, parua admodum manu, tanta calamitate cum uniuerſo exercitu eſt affectus, ut trucidatis Ianniſſariis, impedimentiſq; amiſſis, uix cum reliquiis copiarum ſagitta etiam uulneratus effugere potuerit, huicq; ſtragi Trebia, Traſimenus, Cannæ, inſignia cladibus nomina ceſſere. Longe uero antea Cyricis a Philippo florentino, copiarum Sigiſmundi regis præfecto multis præliis eſt ſuperatus. Qui non longe poſtea apud Calipolim pugna nauali a Venetis eſt claſſe munitiſſima, & maxima, cum ingenti ſuorum clade ſpoliatus, unde hoſtes ea dimicatione perterriti aliquot annis omnem maris principatum Venetis conceſſere. Quorum maxima extant, & pulcherrima in uniuerſam chriſtianam remp. officia, quippe qui ſæpe Soli omnem illius funeſti, ac luctuoſiſſimi belli molem, terra, mariq; ſuſtinuerint. Et nunc

claſſe iandiu inſtructa nihil aliud expectant, quam uidere erecta uexilla, primum Sanctitatis tuæ, deinde reliquorum Principum Chriſtianorum ad hoc commune bellum, communibus uiribus, contra communem hoſtem ſuſcipiendum. Quo quidem nomine iſtic habent Oratorem unum clariſſimum Marcū Foſcarum, in quo nemo poteſt ſatis admirari excellens ingenium, ſingularem facundiam, eximiam eruditionem, & in primis grauitatē manſuetudine temperatam. Qui aſſiduus te ſumme Pontifex ad expeditionem contra Turcas maturandā adhortatur, & calcaria (ut eſt in prouerbio) ſponte currenti admouet. Sed nemo neque crebrius, neque felicius cū ea gēte pugnauit Matthia rege, paucoſque illa ætas habuit, qui & belli, & pacis artibus cum uno Matthia fuerint conferendi. Hic cæteris cunctātibus in medium armatus, fortiſque proſiluit, & Liburniam barbarorum præſidio deiecto in poteſtatē redegit, quæ a plæriſque uel Croatia, uel Boſna cenſetur, manifeſto errore, cum ea ſit regio inter Dalmatas, & Illyricos locata, Liburniæque finis, & idem Dalmatiæ initium urbs Solona ſtatuatur, Emporium Dalmatarum, uictoriaque Pollionis celebrata. nec fortiſſimus rex tam præclaro facinore contētus facto in hoſtes impetu, eos ſæpe fudit, fugauitque, & in diuerſiſſima loca præ timore ſe recipere coegit. Quid enim non metuerent languidæ, & laxatæ pecudes irritatam, & cognitam Leonis atrocitatem. Nec ullum eſt genus cladis, quod Matthiæ ductu, & auſpiciis non fuerit a Pānonibus Turcis illatū. Dies me deficiet, ſi quot prælia domus Othomana geſſerit, cum maximis cladibus ſuis, exercituumque ſuorum

*Marcus Foſcarus Venetorū Orator.*

*Mathias rex ſæpe de Turcis triumphauit.*

enumerare uelim. Illud plane conſtat, neminem paulo ſtrenuiorē collatis ſignis, & aperto marte cū ea gente pugnaſſe quin uictor euaſerit. Et quanq; hoc ipſū, quod tā ſæpe fuſi, fugati, cæſiq; fuerint, maximū ſit documentū, quod non robore, non copiis, non armis, non militari diſciplina ualent, ſed opinione, & uano Chriſtianorum metu nonnihil eſſe uidentur, facit tamen frequēs, & inconſiderata quædam iactatio earum uictoriarum, quas perpetuo quaſi curſu de hoſtibus reportarunt, ut & noſtris hominibus formidoloſi ſint, & res Turcicæ pro maximis celebrentur. Quis enim audiens tot imperia, tot regna, tot prouincias breuiſſimo tēporis tractu ſubactas, non opinetur eos qui tam multa, tam uaria, tam longe, lateq; diſperſa bella, nunc mari, nunc terra obierunt, eſſe potentiſſimos. Quæ opinio, ne cuiuſq; animo, amplius inſideat, oſtendam, quod uerіſſimum eſt, licet prope contra rerum naturam eſſe uideatur, nulla re magis, q; ex uictoriis, quæ alioquin potentiæ argumentum eſſe ſolent, Turcarum imbecillitatem cognoſci, et ex nationibus, quas in Europa ſubiugarunt, eorum tenuitatem, impotentiamq; apparere. Sed primum omniū loca deducamus, quæ Turcæ non armis, ſed proditionibus debent, cum exploratiſſimum ſit Thraciam fere totam, Theſſalonicen, Corinthum, Peloponneſum, nec mirus Theodoſiā, Euboeam, Sinopim ſuorum ciuium defectione ſuccubuiſſe. Demantur etiam populi, uel quos pacis, induciarumue tempore incautos, inopinanteſq;, & ab omni excluſos auxilio Turcæ gentili perfidia repente inuaſerūt, uel qui rerum nouarum cupidi ſponte ſeruitutis iugum

ſubiere. Quo ad cæteros, plus colligi poteſt ipſorum tenuitas quod nationes adeo modicæ, & infirmæ tandiu illis repugnauere, quã iactari potentia, propterea, quod eas aliquando deuicerint. Et quoniam apud ueteres de ſitu, nomine, & finibus plurimarum regionũ ambigitur, & alius aliud ſentit, noſtra uero memoria, antiquis locorum nominibus abrogatis, plæraq; noua, eademq; barbara uſurpamus, anteq̃ ſigillatim de his agam ſitus Sarmatiæ, Mœſiæ, ac Daciæ eſt mihi in uniuerſum explicandus. Omnes qui extremi gentium, & cæteris mortalibus pene ignoti degunt, a priſcis ſcriptoribus Scythæ ſunt appellati, uerum a poſterioribus græcis ita ſeiuncti ut Sauromatæ (Sarmata latino uerbo dicimus) uſq; ad Rah fluuium nominentur, reliqui uero Scythæ. Sarmatas rurſus bifariam diuiſere in Europæos, & Aſiaticos, Europæi inter Viſtulam, & Tanaim continentur, in quo tractu eſt Polonia ex latiſſima camporum planicie, quam gentili lingua Pole uocant, Polonia dicta, quæ utranq; Viſtulæ complexa ripam, ex parte Germaniæ Marcomanis, & Catis iungitur (nunc Morauos, ac Sleſitas uocant) ex parte Sarmatiæ (nanq; omnes ultra Viſtulam regiones ad Sarmatiam pertinent) poſiti ſunt Githones, Phæni, Vmbrones, Varini nunc Vami, & Vamenſes. Quæ hodie loca incolunt Pruteni, Maſſagetæ, Lituani, Liuonii, Moſchouii. Sed Poloniæ regi hac tempeſtate parent Ruteni, quos Roxolanos, uel (ut Strabo ſentit) Roxanos uetuſtas appellauit, item Pruteni, & Lituani, quos Phœnos (niſi fallor) Tacitus uocat. Supra Rutenos incolunt Moſchi a nomine fluminis

*Scythæ qui ſeram olim fuerint appellati.*

*Sarmatiæ diuiſio, et qui populi eam inhabitent.*

*Paulus Iouius.*

dicti,de quibus ſilendum puto,cum Clariſſimus uir Paulus Iouius, qui res Sanctitatis tuæ,ac maiorum tuorum Salluſtiana facundia æternæ memoriæ conſecrare non ceſſat,nuper Moſchouiæ ſitū, populos,ac mores p eleganti,ac dilucida breuitate fuerit complexus. Sarmatiæ aſiaticæ limites Ptolemæus intra Tanaim, & Rah fluuios, & Caucaſum ac Hyperboreos montes concludit.

*Huni Aſiatici, et Europæi.*

in ea ſcribit Dionyſius Hunos conſiſtere,eoſq; Turcas a Perſis uocari, licet alii ſint Huni Europæi, unde Hungari genus ducunt. His apud Mœotidem uicini iunguntur Gothi (Trazitas nominant) licet eoſdē putem fuiſſe

*Gothi qui nā olim fuerint, eorumq; diuiſio.*

Gothos,quos ueteres nunc Getas, nunc Dacos dixere,ea tamen uox ita inualuit recentiorum ſcriptorum uſurpatione, ut ſi Getas pro Gothis dixeris, diuerſum dicere uidearis. At Strabo Dacos, & Getas uicinos locat, ſed hos orientaliores, & ad Pontum obuerſos,illos Germaniam uerſus, & Iſtri fontes. Verior Plinii ſententia, qui eandem gentem opinatur, & Getas a Græcis, Dacos a Romanis eſſe appellatos, bellica laude olim celebres & ob uirtutem, & ob Zamolxis diſciplinam, cum ſe non mori,ſed migrare arbitrarent. Receptiſſimi uero authores Gothos bifariā diuidūt ī Oſtrogothos,& Viſigothos, ut hi magis occidui ſint,illi ad oriētem ſolem uerſi Euxino propinquiores, eam (ut puto) partitionem ſecuti, quā Strabo in Getarum narratione eſt amplexus.

*De duabus Mœſiis Europæis.*

Hæc de Sarmatia dicta uolo,nūc de Mœſia. Ptolemæus poſt Illyricum,& Pannonios,duas in Europa Mœſias conſtituit, ſuperiorem,ac inferiorem, totidem quoq; in Aſia ſed ex ueterū marmorū inſcriptione conſtat has My/

ſias,illas Mœſias nominari. Mœſia ſuperior inter Danubium, & montes Macedonicos continetur, in quo fere ſpacio tres nunc regiones collocant, Boſnam, Raſciam, Seruiam. Boſnam Mahometes ſuperioribus annis ex improuiſo adortus uniuerſam terram eſt fœde populatus, rex Boſnæ inopinato bello perterritus, publica fide accepta, deditionem fecit, ſed nec ſpontanea deditio, nec data fides illi profuit, in hoſtium poteſtatem redactus confeſtim interficit, deinde arx Iaiza regni caput, quarto menſe poſtq̄ obſideri cœperat eſt capta, quā deinde Matthias rex ualidiſſimo exercitu expugnatam ditionis ſuæ fecit, eius arcis præſidio in hunc diem res Pannonica ſuſtinetur. Raſcia, & Seruia hunc fere tenent tractum, quem olim Dardania, quandoquidem Dardani uerſus Macedoniæ montes a ueteribus locantur. Seruiæ regiam Sinderouiam uocant, non longe a Tauruno, unde Turcæ impoſito militari præſidio Pannoniæ fines aſſiduæ populantur. Mœſiam inferiorem Getæ (ut Strabo ſentit) olim incoluere, ubi hodie Valachiæ pars eſt, quā Moldauiam uocant. præterea Bulgari in hoc quoq; tractu ſedē habent, militaribus rebus quondam inſignes, ut qui multas in Europa clades uicinis intulere, Conſtantinopolitaniſq; imperatoribus formidini ſæpe fuerunt. quidā per errorem eos eſſe Triballos arbitrantur, cum Triballi ſint Thracia gens a romanis inuicti, quod armis Germanorū iuuarentur. Cæterum in Aſia quoq; duas Myſias locamus, quæ ab Europæis & nomen, & originem ducunt, alteram Olympicam, Bithiniæ & Epicteto ideſt minori Phrygiæ contiguam, ubi Olympus mons adeo eminet,

*Boſna, et eius prouinciæ caput Iaiza.*

*Raſcia, et Seruia quem tractum habeant.*

*Arx Sinderouia.*

Valachia ... [illegible]

*Bulgari quæ loca incolant.*

*De utraq; Myſia Aſiatica.*

ut hora noctis tertia ſolem ex eo intueri liceat. Altera circa Caicum fluuium, & Pergamenum agrum uſq; ad Theutraniam urbem, & Iſtri hoſtia protenditur. Nam

*Danubius qui [illegible].*

fluuius, qui ex iugis Arnobi montis ortum habet, per Germaniæ, Pannoniæq; populos Danubii nomine decurrit. ubi autem ad Illyricum in Auſtrum deflectit, huberioribus aquis elapſus, Iſtri nomen aſſumit. Hactenus de Mœſia, nunc ad Daciam, hodie Valachiam accedamus.

*Deſcriptio Valachiæ quæ olim, Dacia nocabatur.*

*Tranſiluani*

Quæ in duas diuiſa eſt partes, prima montibus undiq; circunſepta, Tranſiluaniæq; contigua. Iazyges olim erant, qui nunc Tranſiluani, hi & Metanaſtæ dicti, ideſt migratores, quod ex iis qui apud Mæotidē degunt huc commigrarint. Altera Valachia protenditur inter Iſtrum, & Tiram uſq; in Pontum, ubi nunc Moldauia eſt a flumine nominata, & in ora Ponti Iſtropolis, ac Tomi, Naſonis exilio clari. Sunt qui putent Valachos eſſe italicum genus, cui opinioni aſtipulatur Romanus ſermo, qui adhuc in ea gente durat, ſed adeo ex omni parte corruptus, ut uix romano homini intelligatur, nam poſt Getas, & Dacos romanis armis tandē domitos & ſubactos, Colonia Valerii Flacci auſpiciis eo eſt deducta, unde primo Flaccia, deinde

*Valachia unde dicta.*

corrupta uoce Valachia dicta. Quæ ab occaſu Tranſiluaniæ contermina, ab ortu in Euxinū excurrit, a meridie abluitur Iſtro, a Borea, & ſeptentrione Ruxianos attingit. Conſtat autem quicquid Valachiæ nomine continetur, in duas olim fuiſſe factiones diuiſum, factionem unam Danos appellabant, alteram uero Dragulas, qui cum Danis impares eſſent, Turcas auxilio

quondam uocauerunt, quorum armis, Danos pene ad internitionem deleuere. Cæterum ſub Galeno Dacia a romano imperio eſt abſciſſa, quam Aurelianus princeps deſperans poſſe armis recuperare, omnem eam regionem ſponte prouincialibus, libereq́ꝫ poſſidendam reliquit, abductis tamen ab ea romanis colonis, quos inter utranq́ꝫ Myſiam collocauit, ſuamq́ꝫ Daciam appellari iuſſit. Noſtra uero tẽpeſtate ſola Cimbrica Cherſoneſſus gens romanis cladibus notiſſima, Dacia uocatur, cui rex Chriſtiernus præfuit ab hinc triennio ſeditione populari regno eiectus, hic Suetiã quoq́ꝫ, & Noruuegiam peninſulas in eodem mari obtinebat, a Ptolemæo, & antiquioribus ne quidem nominatas, quod ignotæ, atq́ꝫ incompertæ tunc eſſent. Nunc ſigillatim ad gentes, & nationes in Turcarũ poteſtatẽ redactas accedamus. Epirotæ non illi quondã urbiũ expugnatores a Pyrrho Achillis filio Pyrrhidæ, deinde Epirotæ dicti, cũ prius Moloſſi uocitarẽtur, ſed ii qui nũc ſunt, degeneres, atq́ꝫ agreſtes, tandiu tot certaminibus Turcas ſuſtinuere, ut nunq̃ nõ pares, ſæpe ſuperiores habiti ſint. Bulgari, qui inferiorẽ Mœſiã colunt non ſolũ hodie exigua, ſed etiã rudis, & paſtoralis manus, ſemper ita cũ eis tam dubia martis alea decertarũt, ut utra pars euaſerit ſuperior, ambigatur, tandẽ diuturni non tam belli, q̃ latrocinii tedio affecti, inquietæ libertati ocioſam ſeruitutẽ prætulerunt. Seruii, qui ad ſuperiorẽ Mœſiã ſpectant, Mœſii olim appellati, nec numeroſa natio, nec rebus bellicis exercitata, ſed metallis effodiendis intenta, poſt longum annorum numerum uix tandem ſuccubuere. Nam quod in ſubiugã-

*Cimbrica Cherſoneſſus, quæ nunc Dacia dicitur.*

*Epirotæ*

*Bulgari*

*Seruij qui olĩ Mœſii.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

da Boſna, & Raſcia, quæ itidē ſuperioris Mœſiæ ſunt prouinciæ tanto conatu, tot annis, tam uaria præliorum uiciſſitudine laborarunt, apertum indicium eſt, exiguum eſſe, planeq; ridiculum, quicquid eſt, quod tantopere Chriſtiani ſibi formidandum perſuadent. Adde totiens ductas, totiens inefficaces contra Valachos expeditiones, qui longiſſimo tempore, exiguis copiis omnem Turcarum uim, non modo ſuſtinere, ſed etiam prouocare ſunt auſi, tandem inteſtina ſeditione (ut ſuperius diximus) perciti, & mutuo inter ſe digladiātes, ita in Turcarum ditionem uenerunt, ut leges ſuas ſimul cum rebus, & pene libertatem retinuerint. At Moldaui, qui ad alteram Valachiam, uel quod eſt idem ad Mœſiam inferiorē attinent, tot clades Turcis intulerunt, ut coacti ſint, non armis, ſed conditionibus eos delinire, & ſocios, atq; amicos appellare. O egregiam potentiam, Hiſpanorum ſtrenuitati, Germanorū uiribus, Gallorum opibus, Italorum uirtuti formidandam, cum qua de ſumma rerum agreſtes Epirotæ diu contendunt, Bulgari æquo marte ſæpe confligunt, Seruii per tot annos bellum producunt, Boſnenſes ancipiti fortuna pugnant, Valachi ſæpe uictores pactionibus decidunt, Moldaui ex æquo ſocii uocantur. Iactet nunc aliquis Turcarum uictorias, enumeret gentes, nationeſq; ab eis ſubactas, dummodo intelligat magis mirandum eſſe, quod non uno, & leui impetu ſimul omnes adeo imbelles, adeo inopes & modicas nationes ſtatim ſubegerint, q̄ quod poſt tam longi temporis decurſum, tot ancipites præliorum caſus cum ſingulis exhauſtos, tandem uniuſcuiuſq; laſſitudine, magis

*Boſna, et Raſcia.*

*Valachi.*

*Moldaui.*

*Turcas nulla in re Chriſtianis eſſe comparandos.*

q̃ ſuis uiribus, uictores euaſerint. Nam Taururo, ubi tam ſæpe, & ſub tot ducibus nomen omne Turcicum pene eſt deletum, eo tempore potiti ſunt, cum arx illa præſi/dio uacua, mœnibus infirma, tormentis nudata, & a re frumentaria inops, omnium prædæ, & direptioni patebat. At Rhodii Xyſti Pontificatu, cum ab eodem hoſte op/pugnarent̃, licet numero longe impares, uirtute freti tam fortiter, tamq̃ alacriter barbarorum conatibus obuiam ierunt, ut uno prælio nouem millia Turcarum ſint deſi/derata, quindecim millia uulneribus debilitata, Altero cum ingenti machinarũ ui mœnia urbis eſſent diſiecta, & diſſipata, magnaq̃ pars ſolo æquata, ita pugnatũ eſt, ut nulla crepido, nullus propemodum lapis eſſet, quin Turcarum ſanguine conſperſus fuerit, atq̃ madefactus. Et tunc quidem libertas Rhodiana non muris, ſed ho/minibus ut olim Sparte defenſa eſt. Superiore uero bien/nio poſt diuturnam obſidionem, hoſtis tanta cum ſuo/rum ſtrage, & occiſione, ea eſt urbe potitus, ut aliquid fortaſſe gloriæ, lætitiæ certe parũ, detrimenti uero plu/rimum ſenſerit. Idq̃ ei contigit, quod Pyrrho, qui cum Romanos apud Syrim fluuiũ magno prælio fudiſſet, in recenſendo poſt pugnam exercitu, cum ſtrenuiſſimũ quenq̃ occubuiſſe cerneret, dixiſſe fert̃, Peribimus haud dubie, ſi ſic Romanos iterum uicerimus. Dicam quod ſentio, ſi nõ nobis ipſis deeſſe uolumus, reip. Chriſtianæ conducit Rhodum, cum tam ingenti hoſtium clade, & interitu eſſe amiſſam, nam Ianniſſariis fere omnibus tru/cidatis, reliquo peditatu ueterano abſumpto, quem ty/rannus ille in ſupplementum aſciſcat, præter paſtores,

*Taururũ quomodo amiſſum.*

*Rhodiorum prælia cũ Turcis, et quomodo urbs capta.*

& caprimulgos,habet neminē. Sed ut Europam omittam)non minus infeliciter contra Sultanum Aegyptiū, a Turcis eſt pugnatum,qui multas, & pudendas clades ab eneruata illa eunuchorū manu accepere, quos omnes tandem Selynus Arabum defectione,quibus duplex donatiuum obtulerat, ſceleri ſcelus cumulando de medio ſuſtulit,Memphi,cui nunc Cairo nomen eſſe aiunt,cum uniuerſa Aegypto in poteſtatem redacta. Ego potius crediderim,quæ olim fuit Babylon,nūc Cairum appellari,nā ex Babylone Aſſyriorum a Semiramide condita quam Baldacam nunc uocant,plæriq; accolæ a finitimis uexati in Aegyptum commigrarunt a quibus extructa eſt altera Babylon urbs maxima, plures cōplexa populos,nuperq; Sultanorum regia,hanc Cairum uerius dixerim. Quanti uero illud eſt faciendum, quod cum Aſiatici ſemper adeo imbelles ſint habiti,& effœminati, ut pene nullius unq̄,qui contra ſe arma mouiſſet,impetum ſuſtinuerint,in omni pugnandi genere a Romanis,a Macedonibus,a Græcis deniq; debellati quibus Amazones, aliæq; olim fœminæ imperitarunt, ſæpe tamen Turcas a ſe fuſos,fugatos, caſtris etiam,& impedimentis exuere, ut omnium gentium & nationū poſtremi dici debeant,qui ne illis quidem ſunt pares,quos non modo quæcunq; uirorum acies,ſed etiam mulieres bellis omnibus ſuperarunt. Eat nunc aliquis, Chriſtianorum arma, equos,milites,uirtutem, cum Turcarum ſquamulis,canteriis,latronibus, mollicie comparet, & ſi eſt impudentior, præferat exiguos & laternarū laminis agglutinatos arcus, oſſiculiſq; exaſperatos calamos,ingentibus robo-

*Quam infeliciter Turcæ cōtra Sultanum ægyptium ſæpe pugnarint.*

*Ab Aſiaticis ſæpe Turcæ uicti et fugati.*

*Turcas nulla in re robori Chriſtianorum eſſe comparandos.*

ſtiſq; Britannorũ arcubus,& ſagittis, hebetes, ſupemeq; retuſos cultros,acutis Hiſpanorũ gladiis, uel cæſim,uel punctim aptiſſime ferientibus, præuſtas,& paſtorũ ludi cris accommodatas ſudes, ferratis, & prælongis grandi/ buſq; Gallorũ haſtis. Et ne ſingula ſingulis componam, quid eſt, quod aut inconſultius dici, aut maiore cũ ca/ chinno audiri queat,quã ſi quis Germanorũ corporũ ro bora, etiã Romanis Mundi uictoribus ſæpe formidata, cum latronũ illorũ ſqualore, & inanitate componat? ſi Italorum copias omni bellandi genere, & cũ omnibus pene gentibus exercitatas imbellibus illis, & ſeminudis prædonũ turmis inferiores exiſtimet? Omitto tot clariſ ſimos belli Duces in nullo imperatoris officio ueteribus illis concedẽtes, quãdoquidẽ in hoc cõſpicitur C. Cæ/ ſaris celeritas,atq; induſtria,in illo Pompei ratio,& diſci plina.eſt qui.C.Marii cõſiliũ,& robur,eſt qui Fabii pru dentiã,& grauitatẽ æmulet,apud quos elũbis ille Tyrã/ nus ne lixæ quidẽ, aut calonis locũ ſatis digne cõſequa tur. Quid autẽ magnũ,aut difficile gentibus, quas nemo unq̃ impune bello laceſſiuit,& qui olim uictoriis uniuer ſum pene terrarum orbem peragrarunt,tam inconditam barbariem uel ſuſtinere uel oppugnare? Quid mirum,ſi infimi a fortioribus uincentur? ſeminudi ab armatis? egentes omni bellico apparatu, ab inſtructiſſimis? ignari militariũ artiũ a peritis? qui nulla rerũ geſtarũ fiducia in aciẽ prodeunt,ab iis qui omni uictoriarum genere flore/ ſcũt? Quis tã effœtos,& exãgues furũculos extimeſcat? uix exeſas macie genas, et præmortua mẽbra ad cõſpe ctũ lucis ꝑferentes,habitu ferali,et tãto pedore,macieq;

*Inter Christianos reperiri clariſſimos belli duces.*

*Nõ magni eſſe negocij Turcas uincere, et ſubiugare.*

*Scythæ nobiles.*

confecti, ut quod olim Scythæ nobiles illi (qui de prima mundi origine, cum omni uetuſtate certabant, aduerſus hoc ipſum fugitiuorum genus feciſſe dicuntur) Scutica potius coercendi, q̃ armis oppugnandi uideantur. Ex his puto perſpicuum eſſe, ſiue proſpera, ſiue aduerſa

*Vanã eſſe opinionẽ quæ de Turcarum potẽtia habetur.*

intuemur, omnem de Turcica potentia opinionem & inanem eſſe, & temere ſuſceptam. Quod ſi hæc ratione uolumus, non animi perturbatione, anilicꝫ ſenſu perpendere, fatebimur nihil eſſe tam friuolum, nihil quod minus formidari oportet, q̃ rumorem, qui de rebus Turcicis circunfertur, uixcꝫ ullum eſſe Chriſtianum Principẽ, ullamue Remp. quæ & armis, & diſciplina militari, & uiribus, & rebus geſtis, non longe ſit Turcis anteferenda.

*Pannonias eſſe præſidio muniendas.*

Sed de his hactenus. Nũc qua uia, ratione, ac ordine hæc tota expeditio ſit ſuſcipienda, & moderãda, paucis explicabo. Primũ omniũ Pannoniæ, & quæ Pannoniis proxima ſunt, ualido præſidio muniantur, nam natura prius eſt ſua defendere, q̃ aliena ire oppugnatum, & a nobis antea periculum arcendum, q̃ ultro aliis inferatur. Hungari uero, ſi quid eis offeretur opis, non parũ prodeſſe poſſunt ad diſtrahẽdas Turcarum uires, ſi non opprimendas. attriti enim diuturnis cladibus non tantum habent exercitum, ut collatis ſignis ſint ex compoſito cum eis pugnaturi, ſed per uelites, & repẽtinas incurſiones non mediocre illis detrimentum, uaſtationemcꝫ alla[illegible]

*Belli in Tur[illegible] [illegible] cia eſſe tra[illegible]ferendum.*

[illegible] R. Pannonica in tuto, collocata, & omnibus rite [illegible] Turcas duce Chriſto, & uexillifero eſt eundũ. [illegible]d ad uictoriam compendioſius eſſe poteſt, [illegible] in hoſtile ſolum tranſferri, domicꝫ hoſtem

adoriri,& in eum mala conuertere,quæ ipſi tot annis patimur. Requieſcant aliquando tandiu agitatæ,uexatæq; Chriſtianorum regiones, & trepidatio,fuga,direptio,ac cæteræ belli clades, in barbariem illam inuicem regerantur.Imitemur in cauſa potiori Agathoclem Siciliæ regem, qui a Carthaginenſibus duplici prælio fractus, & Syracuſis obſeſſus, nec ad ferendā obſidionem ſatis inſtructus,bellum in Aphricam tranſtulit.Mira res profecto, qui in ſua urbe hoſti impar erat, alienam bello eſt adortus, & cum domeſtica tueri non poſſet, peregrina inceſſit, ultro uictores perſequi auſus,obſeſſoreſq; urbis ſuæ obſidere.Quo facto carthaginenſium opes eo breui reciderūt,ut ab iis,qui uicti fuerant,ad excidium premerentur. Splendidius Cornelii Scipionis factum, qui cum Italia Punico bello ureretur,& Annibal tunc maxime urbis Romæ immineret exitio, ipſe in Aphricam exercitum tranſportauit, bellumq; eo auertit,unde uenerat,& Annibalem ab Italiæ uaſtitate, ad ſua defendenda in Libyam redire coactum maximo prælio uicit,domiq; Carthagine ſibi gloriam ingentem, patriæ imperiū ampliſſimum comparauit. Plus ſemper animi eſt inferenti periculū,q̄ propulſanti, & aliter foris,aliter domi bella geruntur,plerunq; latior eſt ad uictoriam uia,in hoſtili,q̄ in proprio ſolo. Quippe domi hæ ſolæ habentur opes,quas patria ſubminiſtrat,foris ſæpe [illegible] colligis uires,quas tecum non attuleras. Nam ad ſub[illegible] quos aggrederis,conſternationem,cum [illegible] omnia perterrita,& exanimata,ſocii deſ[illegible] ſubditi diuturni imperii odio externa [illegible]

*Agathocles rex Siciliæ.*

*Scipio ab Italia in Aphricā bellum auertit.*

Lybia

*Vtilius eſſe in hoſtili ſolo quā in patria bellum gerere.*

ſtant,adeo ut hoſtes ſuis etiam uiribus uincantur. Quod in hoc genere belli proculdubio eſt futurum,cum in hoſtium exercitu maxima pars aut Chriſtiani ſint,aut Chriſtiani nominis ſtudioſi,in omnem occaſionem paratiſſimi,ſi queant a ſe iugum depellere ſeruitutis. hi ubi ſpem recuperandæ libertatis oblatam ſenſerint, pro nobis ſtabunt,& conuerſis in tam facinoroſos dominos telis, ſuas ærumnas nobiſcum iuxta ulciſcentur, alioquin Tyrannus ille ob morum truculentiam ſuis inuiſior eſt, ꝙ hoſtibus, & capitaliori odio illum proſequuntur, qui eius ditioni ſubſunt,quã qui arma contra eum ferunt. Hæc omnis expeditio tanta celeritate conficietur,ut ſimul audituri ſimus,& ueſtrum exercitum in Turcas adductum, & bello ardere Thraciam,& Cõſtãtinopolim obſideri, & uictoria uos potitos. Adde quod ad dignitatem famamq; reip. Chriſtianæ apud omnes gentes propagandam pertinet,non ſolum ad Delmatiam, Germaniamq; defendendã,ſed ad inferenda etiã,ubi impius Mahometes ſedem fixit, arma uobis, & uires,& animũ eſſe. Sitq; potius Conſtantinopolis cum uniuerſa Thracia,Græcia, ac Peloponneſo uictoriæ præmium,quã ſemiruta Mœſiorum,ac Triballorum Caſtella. Hæc belli gerẽdi ratio, & Chriſtianã Remp. propagabit, & ſocios noſtros tuebitur,& æternam nominis ueſtri gloriam proferet. Duæ ſunt autem expeditiſſimæ uiæ aduerſus Turcas, altera per inferiorem Pannoniam, altera per Italiam,prior terreſtribus copiis, poſterior maritimo apparatui accõmodata. Locus poſtulat, ut qui ſit Pannoniæ ſitus,quiue populi ab initio eam habuerũt, & quid in his mutauerit

*Quã celeriter in hoſtili patria hoc bellum confici poſſit.*

*Quibus itineribus in Turcas ſit eundum*

uetuſtas, breuiter attingamus. Fuere Pæones a græcis dicti, quos poſtea Romani Pannonios dixere, licet ſint qui Peoniam diuerſam faciant, eamq; in Macedonia apud Axium fluuium locent. Duplex uero eſt Pannonia, ſuperior ab occaſu limites habens montem Ceſium, qui eam a Noricis diuidit, Iapidiæ, & Carinthiæ, Auſtriæq; propinqua, inferior, quæ ab ortu, & ſeptentrione Danubio coniungitur. Sed Veteres Romani Pannoniam inter Illyrici prouincias numerarunt, hanc Tiberius biennio domuit, cum nullus ad eam diem auſus fuiſſet ad Danubium arma transferre, licet ſæpe inſultantibus barbaris. Deinde eam longo annorum decurſu Romanis Principibus ſubditam, exterarum gentium diuerſæ nationes inuaſerunt, hoc ſibi quaſi diuerſorium, & pontem deligentes, unde facilius Romam, & uniuerſam Italiam infeſtarent. Prima igitur fuit Gothorum irruptio, qui pauloante quam urbem occuparent, illac iter populabundi fecere. poſt hos Vandali, deinde Auarii, ultimo Longobardi, ex Scandauia Oceani inſula profecti omnem eam regionem uexauere. Quibus diſcedentibus Huni ſucceſſere ex Sarmatia Europæa egreſſi, ab his Hungari, quaſi Huneri appellati, de quibus Procopius ſic ait. apud Mœotidem Cimmerii habitant antiquitus nominati, nunc autem Huni. Sed quanquã Hungaria eſſe uideatur, quæ olim fuit Pannonia, tamen nec Hungaria Pannoniæ fines implet, neq; illa tam late olim patuit, quã hodie Hungaria. Etenim Sclaui eam Delmatiæ partem incolentes quam mons Adrius á mari ſeparat, item Illyrici, qui

*Pannoniæ diuiſio, et qui populi eam olim occuparint.*

*Hungariã non eoſdem habere limites, quos olim habuit Pannonia.*

Boſnenſes, licet de Boſna alii alia ſentiant. Triballi qui Bulgari, qui Mœſii, qui Seruii, Daci, qui Valachi, Iazides, qui Tranſiluani, Valeriæ populi, qui Croati, Amantini, qui olim Abātes, magna ex parte Hungaricæ ditioni pa rent, aut patrum memoria paruerunt. Patetq; imperium gentis multo latius, quā terræ nomen, que a Leuca flumi ne inferiorem Pannoniam complexa, ultra Danubium Sarmatiam attingit, eamq; regionem ſibi uendicat, quā

*Hungaria quos nunc limites habeat.*

Gepidæ, & Daci olim tenuerunt. Huius prouinciæ ciui/tates a priſcis non referuntur, quod uicatim potius habi/tent, ſtramineiſq; mapalibus, ſed gentes duntaxat, & con uentus. Hodie uero limites habet Hungaria ad occaſum Auſtriam, & Boemiam, ad meridiem Illyrici partē, quæ Adriatico eſt pelago obuerſa, ad orientē ſolem Seruiā, nunc Sagoriam uocant, ad arctum, & Boream, Poloniā, Moſcouiamq;. Sed licet ab Hunis Hungaros emanaſſe frequens ſit opinio, non deſunt tamen qui affirment ad Riphæos montes Hungaros olim ſedes habuiſſe, qui

*De Hungarorum origine diuerſas eſſe opiniones.*

Scythica lingua Montani nominentur. Alii tradunt eos ex inſulis germanicis profectos, nunc id mare Baltheum uulgo uocant, adeo qui hæc literis commendarunt, & inter ſe, & ab aliis diſſident. Mirum quanta bonarū artiū obliuio per id tempus mortalium animis obrepſerat, ut ne in Pontificibus quidē, cæteriſq; principibus quic/quā eluceſceret, quod ad bene, honeſteq; uiuēdum iuua re poſſet, ſtupor, & amentia quædā, morūq; corruptela hominum animos inuaſerat. Cæterum non tam uita tūc male culta, quā rerum geſtarū memoria inculte, ac per/plexe literarum monumentis eſt tradita, ut authoribus

illius ſæculi nihil minus curæ fuiſſe appareat, quã ut in his quæ ſcriberentur ſibimet ipſis conſtarent. Nos ad Hunos reuertamur, quæ gens fuit ferox, humaniq; cruoris ſitiens, in prælio aut uincere ſolita, aut in ueſtigio mori. Hi Mandulo & Suptero ducibus Panoniã irrumpẽtes, Gothorum gentem bello adorti, qui circa Iſtrum agitabant, multis fatigatos præliis uectigales fecere. Inde Burgundiones (ut Pliniano uerbo utar) magnis uiribus inuaſerunt, fuit illud bellum Hunis ab initio felix, uerũ Burgundii ſuis opibus diff.ſi ad diuina confugiunt remedia humanis potiora, & Chriſti fidem populariter complexi Hunis audacius confligunt. Fuit res Burgundica multo ſuperior, uiceruntq; egregie, qui uinci conſueuerant. Burgundios autem annumerant inter Vandalos Germaniæ populos a flumine, quem accolunt ſic dictos, qui poſtea uniuerſi una cum Vandalis in Galliam commigrarunt. Tacitus Burgundiorum nomen factum exiſtimat, quod Vandali a Druſo, & Tiberio uicti, uicatim habitare coacti, id nomen a ſimili incolatu ſortiti ſint, quoniam burgos illi uicos appellãt. Huni, qui prælio ſuperfuere, terram unde profecti ſunt, afflictæ ſibi fortunæ conſcii repetũt. Nec multo poſtea Atyla Manduli filius arma Hunica longe, lateq; circuntulit ſub Arcto, & Aquilone, eratq; nomen uiri omnibus gentibus formidoloſum toto fere ſeptentrione ſubacto. Qui ad propagandum imperium intentus curã Pannoniæ fratri Budæ (unde oppido nomen) delegauit, ipſe cum copiis in Galliam profectus Aurelianum obſedit, pluribuſq; uictoriis potitus, tandem apud cãpos Catalanẽſes collatis

*Hunorum mores, et quomodo Pannoniam occuparunt.*

*Burgundij Hunorum uictores qui poſtea in Galliã cõmigrarunt.*

*Atylæ res geſtæ, et quas expeditiones ſuſceperit.*

ſignis cum hoſtibus concurrens ſingulari clade afficitur. Qui tanto accepto incommodo in Pannoniā reuerſus fratrem Budam affectati regni ſuſpectum de medio ſuſtulit. Ipſe Thraciam, Mœſiam, Illyricum fœde populatus iam Byzantio incumbebat, cū prælio uno a Theodoſii ducibus ſuperatus alio cogitatus ſuos cōuertit. eius enim fuit Atyla ingenii, ut nunquā minus quieſceret, quā cum uictus erat. Exercitum itaq; ſumma ope reparat, redintegratiſq; uiribus, et ualidis auctus copiis in Italiam ſubito belli impetum tranſtulit, atq; itinere per Illyricum facto, Aquileiam triennio obſedit, quæ urbs eſt in maritima Camorū ora, latina colonia, barbaris Italiæ incumbentibus oppoſita. Sed eam Atyla ni expugnatam a ſolo diruit, cuius copiæ Italiam fere totā cæde, incendioq; deuaſtarunt. Gens immanis, & truculenta, quippe quæ nec ab eſu quidem carnis humanæ creditur abſtinuiſſe, unde Androphagi appellati. Hæc tam abhorrendi ritus opinio tanta formidine ab initio omnē ſexum, ac ætatem corripuit, ut non libertas, ſed uita etiam pro deplorata haberetur. Longeq; maior terror popularium animos percuſſit, quā fuerit in omnibus Gallicis bellis, quippe cum Gallis de libertate pugnatum eſt, cū Hunis de uita futura erat dimicatio. illi etſi feroces, tamen erāt pietatis minime expertes, hi non pietatis ſolū, ſed omnis etiam humani iuris contemptores habebātur. Deus affuit populo ſuo, & tantarum calamitatum miſertus, clementiſſimos oculos in nos conuertit, quo auxiliante, Atyla a Leone Sūmo Pontifice delinitus, bellum, & quæ bello cœperat, ſponte dimiſit, libertate omnibus, quos ſubiu-

*Aquileia ab Atyla expugnata, et ab eius copiis Italia pene tota deuaſtata.*

*A leone primo Atyla delinitus Pannoniam repetit.*

gauerat, reſtituta. Rogatus deinde a domeſticis, quid cauſæ fuerit, quod clariſſimam tam facile unius precibus uictoriam condonaſſet, reſpondiſſe fertur, oportuiſſe ſic fieri, quando medio ſermone duo ſibi uiſi eſſent dextra, leuaq; uiri auguſtiore habitu pro Pontifice ſtare, qui ſtrictum ſibi ferrum intenderent, niſi illius dicto obtemperaret. Atyla itaq; cum uictore exercitu in Pannoniam reuerſus, cum Idilconis nuptiis, quam matrimonio duxerat, largius ſe uino, & omniſariam crapula ingurgitaſſet, profluuio ſanguinis dormiens extinctus eſt. Hunorum opes cum Atyla non quidem extinctæ ſunt, ſed tamen collapſæ, & admodum imminutæ, ſiquidem duobus eius filiis de principatu certantibus, Adalerius uictoria, & regno potitus eſt, Chabias alter frater, prælio uictus Conſtãtinopolim aufugit. Pars eius exercitus inter Iazyges, ubi nunc Tranſiluania, ſedes locarunt, Zetel ſe nominantes, latine Siculi dicũtur, ubi uſq; in hunc diem perſeuerãt ſuis utentes legibus. Sic Atylæ poſteritas uariis agitata caſibus inter fortunæ flatus, & reflatus tricenis fere annis Pannoniam obtinuit. Interea Carolus imperator qui a rerum geſtarum magnitudine cognomen magni ſibi peperit, Bois in deditionem receptis, qui relicta Italia Noricorum regionem incolebant (hos Bauaros ætas noſtra uocat) bellum in Sclauos Iſtri accolas tranſtulit. gens æſtate una perdomita eſt, mox Hunos tereſtri, naualiq; prælio, maiori conatu eſt aggreſſus, & ne illati prælii cauſa ignoraretur, toto triduo ſupplicari, Chriſtianoq; ritu ſacra fieri iuſſit, aperto campo. Huni ancipiti terrore perculſi inſulam occupant ad

*De Atylæ morte, et eius poſteritate.*

*Carolus Imp. Sclauos, et Hunos domuit.*

Rhabe hoſtiũ munitiſſimam. Gallus hoſtes perſecutus, factaq; pugnandi copia congredi auſos inſigni clade affecit, ac mox deditione facta, perhumane & clemẽter accepit. Sub id tẽpus Hunorum alia manus finibus egreſſa, cõtra conſãguineos ſuos duce quodã nomine Herpad, in extrema Pannonia bellum mouit, qui Zuta hoſtium rege, cum magna exercitus parte occiſo, regnum uictor obtinuit. Sunt qui Hungaros ex inferiori Pannonia eiectos exiſtiment, continueq; nouos Hunos in eiectorum appellatione tranſiſſe, Hungaroſq; pro Hunis dictos. Vtcunq; ſe res habeat, conſtat Hungaros artium fere omnium eſſe indociles, præterq̃ militaris, quam naturæ ferocia ita exercent, ut ne per brumã quidem uacẽt. ferox hominum genus, & in bello ualidũ, equeſtri tamen prælio magis q̃ pedeſtri idoneum. Hi magno adiumẽto Chriſtianæ reip. tuendæ contra barbaros ſæpe fuere, nullaq; gens Chriſtiani nominis magis Turcarum arma exercuit, nulla ab his magis exercita eſt, adeo paribus animis, uarioq; euentu eſt ſemper utrinq; pugnatum. Pannonia itaq; (ut eo unde digreſſi fuimus reuertamur) ex omnibus regionibus ad id negotii eſt aptiſſima, tũ quod Turcis finitima, ut pote quam ab illis Danubius ſeparat, tum quod Pannonii eodem prope utuntur pugnãdi genere, quo Turcæ, ſuntq; quotidianis fere præliis aduerſus eos exercitati. Ab ipſa uero urbe Buda, quod eſt totius regni caput, Conſtantinopolim uſq; ſuperato Danubio per campeſtrem planitiem adeo apertum patet iter, & expeditum, ut ne carpentis quidem, & plauſtris ullum offeratur impedimentum. Et quoniã ualidiſſima

*Noui Huni qui Hungariã inuaſerunt.*

*Hungari reip. chriſtianæ quã fuerint utiles.*

*Expeditiſſ. contra Turcas iter per Hungariam.*

*Valida claſſis a Chriſtianis inſtruenda.*

claſſis inſtruenda eſt, atq; ſcorpionũ, catapultarũ omniq; tormentorum genere egregie munienda, tũ ut præſidio ſit oræ maritimæ, & inſulis, quæ adhuc nomen Chriſtianum gerunt, tum ut nauali ſimul dimicatione cum hoſte decernamus, qui uno eſt, & eodem tẽpore terra, mariq; inuadendus, ut ancipiti periculo, belloq; diſtractus, non tam de prælio cogitet, q̃ de fuga.

*Copiæ italicæ qua nauigatione traducẽdæ.*

Traducẽdæ ſunt Italicæ copiæ ex portu Brunduſino Dyrachium, quæ eſt ciuitas litoralis Epiri, Epidamnos olim dicta, ſed nunc a Cherſoneſſo, ubi ſita eſt, Dyrachii nomen habet. Licet etiam Seniam, quæ eſt maritima Delmatiæ ciuitas, nunc Segnia appellata, breuiſſimo itinere tranſmittant Pannoniam petituri. nec eſt illud minus expeditum iter, per Flamonẽ, quæ ciuitas hodie flumen uocatur.

*De Peloponneſo, et Iſthmo recuperandis.*

In primis uero ea claſſe recuperanda eſt Peloponneſus, regnũ profecto ab heroicis uſq; temporibus rerum geſtarum gloria celeberrimũ. Et in Lecheum, & Cencream duos nobiliſſimos Peloponneſi portus, eoſdemq; a mari Aegeo, ac Ionio nauigantibus maxime opportunos omnis noſter equitatus, ac peditatus exponendus. Eademq; celeritate in Iſthmum contendendum, quem Byzanti imperatores, cum iam Turcæ toti græciæ imminerent, fruſtra muro cingere ſũt aggreſſi, ut olim plures licet inefficaci conatu eum perfodere tentarunt.

*Caridius mons olim Cytheron.*

Vnde Phocidem, & Bæotiam petentibus occurret mons ille nobilitatus fabulis Poetarum Cytheron, cui hac tempeſtate Candio eſt nomen.

*Ephyre.*

Corinthiorum autem regio poſt Iſthmum primo ſe offert, ubi Corinthus ciuitas, quæ & Ephyra dicebatur, & Acrocorinthus, & Heliopolis ob ſolis ſicci/

tatem. Vix autem Epirum ingrediemini, uidebitis Græciam omnem gratulatum concurrentem, aliudq; nihil molientem, quam ultionem in Turcas diuturnæ, acerbæq; ſeruitutis. Conſequentur deinceps omnes finitimi populi, ferociores ipſa calamitate facti, & qui in euerſis urbibus ſedent, & qui tetra, intolerabiliq; ſeruitute preſſi nunc coguntur, licet inuiti, contra Christianos bellum gerere. Et cunctamini adhuc felicia mouere ſigna, utroq; ſceleſtiſſimum hoſtem inuadere, qui nefariā Chriſtianæ reip. molitur cladem, qui ueſtris urbibus ferrum, & flammam intentat, qui Chriſtianum nomen delere aſſidue cogitat. Nec impenſæ magnitudo uos deterreat, nā ſi uultis meminiſſe quot theſauri riuos, per hos annos exhauſeritis in bellis iſtis funeſtiſſimis inter uos apud Belgas, & Cymbros, & Inſubres geſtis, inuenietis præſentem impenſam adeo paruam, adeoq; exiguam, ut in comparationem non cadat. Depromite in tanta neceſſitate opes, diuitiaſq; ueſtras, patefacite cuncta æraria, & publica, & priuata, Theſauroſq; quos prius ob inteſtina bella ingentes, innumeroſq; effudiſtis, in omne genus militum diſpergite. Quorum iampridem ſi uel minimam partem ad reip. Chriſtianæ defenſionem, & religionis tutellam contuliſſetis, Turcæ qui nunc & Italiam, & Italiæ proxima quæq; terrore complent, non modo ex Pannonia, & Delmatia, ſed ex omni prorſus Europa turpiſſime eſſent, fœdiſſimeq; deiecti, eiſq; iam foret potius de ſuis latrociniis deſperandum, quā uobis de imperio dimicandum. Quod ſi honeſtatis ratio, cultuſq; diuini obſeruantia non eam uim habet,

*Quanta erit totius Græciæ gratulatio ex chriſtianorum aduentu.*

*Impēſæ magnitudo Chriſtianos ab hac expeditione non deterreat.*

*Quanta cōmoda Chriſtianis ex hac uictoria ſint euentura.*

ut ſua uos ſponte ad res pulcherrimas, maximaſq; alli/cere poſſit, præſtet id ſaltem utilitatis magnitudo. Vi/demus nullas eſſe reconditas adeo, longiſſimeq; poſitas, atq; remotas regiones, quas per ſumma terræ, mariſq; pericula comparandarũ opũ gratia mortales petere non conſueuerint. Quãto maior ueſtra futura eſt, quanto cu/mulatior, gloriosiorq; utilitas, cum quicquid eſt auri, atq; argenti a nefandiſſimis prædonibus ex tot manu/biis, & præda congeſtum, quicquid opum ex ſpoliis totius pene humani generis cumulatum, id breui ſitis habituri, & quæcũq; in Europa, atq; Aſia per inſidias, & latrocinia his tot iam ſæculis hoſtes occuparunt, ea oĩa uno, alteroue prælio ueſtræ ditioni adiecturi. Huius inſu per luctuoſiſſimi belli periculo, metuq; ſoluti, pacatiſſi/mã uitã, tranquillitatẽq; perpetuã, cũ imperio ueſtro, tũ Chriſtianis omnibus parituri. Quæ ut aſſequi poſſimus, nõ ſatis eſt eos pugna ſuperare, exterminãdi ſũt ex tota Europa, & in myſiã, atq; deſerta Aſiæ, ad priſtina maio rũ ſuorũ latrocinia relegandi. Qui quãdiu in Europa ſe continebũt, non uos unq̃ quieſcere patientur, neq; finiti/mos calamitatibus, & ærũnis ꝑmere deſinent. ex Europa eliminati, parũ admodum intra Aſiæ uaſtitates turbare poterũt. Licet enim Aſia, quæ a reliq̃s partibus Tanai, & Nilo, & Boſphoro Thracio diſcernit̃, olim fuerit opu lentiſſima, & coloniis græcis frequens, præſertim minor illa, quæ mediteraneo mari noſtro cincta Phrygiaq;, ac Lycia terminat̃, tamen Tomyrides cognomẽto Tamber lanus de quo ſupius plura, uniuerſam Aſiã ab Euphrate ad Helleſponti fauces, atq; a Phoenicis, & Syriæ tractu ad

*Turcas ex tota Europa eſſe exterminãdos.*

*Tota Aſia ad quantam ſolitudinem ſit redacta.*

Damaſcum uſq;, populis ſpoliauit. Ad eamq; ſolitudinem redegit, ut hoc etiam tempore innumeræ urbes, & oppida ſine ullo humano cultu inueniantur. Aſt Tartari, (Tactaros Plinius uocat) a Boryſthene amne, uſq; ad Imaum montem, qui Scythiam uniuerſam interſecat, ad ſeptentrionalē Indiam porrecti, quicquid terræ iacet inter Hyrcanum mare,, & ultimam, damnatamq; frigoribus plagam occuparunt. Et quoniam Tartarorum mentio incidit, qui hominum hi ſint, qui mores, & ritus gentis, quæ imperii origo propagatioue fuerit, ſtrictim explicabo. Non ſunt hi Scythicum genus ut nonnulli autumant, ſed Europæum in Taurica Cherſoneſſo a Plinio poſiti. Ferus his ab initio cultus, ſine moribus, ſine lege, ſine ulla uiuendi diſciplina, mox gens ipſa in plures uelut tribus diuiſa, cœpit ſub ducibus agitare, penes quos erat totius rei ſumma. Canguiſca oraculo quodam, primus eſt rex ab his creatus, qui a ſui principatus initio malorum Dæmonū cultus abrogauit, edictoq; præcepit, ut tota gens Deum Opt. Max. coleret, cuius prouidentia regnum credi uoluit a ſe receptū. hic primus fines patrios egreſſus in Scythiām cū exercitu penetrauit finitimoſq; Scythas bello ſubegit, deinde remotiores populos, & bellis bella ferendo, ac ſtudio propagandi imperii ad populos occaſui expoſitos belli impetum conuertit, uſq; ad Caſpium mare progreſſus, in medioq; uictoriæ curſu moriens duodecim filiis regnum reliquit. Quos ille, cum ſub ipſum tempus mortis ad concordiam hortaretur iuſſit, ut duodecim ſagittas, quiſq; ſuam, in unum faſciculū colligarent, ſinguliq; in orbē experirentur, poſſent

*Tartari quæ loca obtineāt.*

*Tartarorum origo, inſtitutio, et imperii propagatio.*

*Canguiſca primus Tartarorum rex eiuſq; in bellis ſucceſſus.*

*Canguiſca moriens quomodo ſit filios ad concordiā hortatus.*

ne faſcem infringere,cum res ab omnibus fruſtra tentata eſſet, tam firmum,inquit, erit ueſtrum imperium filii,ſi in eo tuendo concordes eritis,contra fragile,& hoſtium iniuriæ obnoxium, ſi ſoluto animorum conſenſu diſſidebitis,ceu ſi faſciculus iſte ſoluatur,infirma erit ſagittarũ quælibet,ac cuiq; ueſtrũ facile frangibilis. Hoccota, qui omnium maximus erat natu,& ob eam rem cæteris facile cedentibus,rex poſt patris interitũ eſt deſignatus, Aſiã inuaſurus,Caſpias portas, ſiue (ut alii uolunt)Caucaſeas, primo acceſſu cœpit. deinde in alterum uelut orbem egreſſus,cum Aſiam facile ſubiugari poſſe intelligeret, tres filios in totidem orbis partes cũ tribus exercitibus ad bellum mittit. Iachis ad occidentem Solẽ ire iuſſus,Batho ad Septentrionem flexit, Tagladais ad meridiem eſt profectus. Ipſe cum opulentiſſimo exercitu circumiectas gentes ad ortum Solis bello aggreſſus, celerrimo uictoriæ curſu Cathaium uſq; extenſione facta, longe,lateq; imperii fines propagauit,& in Cathaio,qui locus multas complectitur gentes,inter Imaum,& Laxarrem fluuium,ſitus ſedem ſibi conſtituit. Tagladais natu minimus aduerſum Aethiopas arma promouit, infelix tamen eius fuit militia, uictus prælio ab Aethiopibus partem non paruam amiſit copiarum, deinde ad occidentem Solem profectus reliquias ſui exercitus una cum fratre Iachide iunxit, qui res Turcarum circa Perſidem, Aſſyriam,Meſopotamiam uehementer afflixerat. Celebrior Bathonis uictoria,qui Goniata Turcarum rege ingenti prælio uicto,breui omne ipſius gentis regnũ armis domuit ſecundum eam pugnam, qua Batho Turcarum

opes maxime attriuerat, Omaniam inuaſit, Omanoſq;
Comani olim Omani (hodie Comanos uocant) magno prælio ſuperauit, qui
& ipſi Europæi prope Roxolanos antiquitus degebāt.
uerum poſtea in Aſiā cōmeantes, Iberos, Albanos, proxi
maſq; his nationes armis expulerunt, tandem & ipſi a
Tartaris eiecti, in Pannoniam fuga deferūtur, a Bela Pan
noniæ rege in regni partem recepti. At Batho Omania
ſubacta, eodem uictoriæ curſu, uicinos accolas Roxola-
nos, Gazeos, Polonos eſt populatus, & demum Coma-
norum ueſtigia ſecutus in Pannoniam proceſſit, quam
totam triennio cæde, incendiiſq; deuaſtauit, pleriſq; Co
manorum ab eo ultra Iſtrum oppreſſis. Sed poſt tot inſi
gnes res geſtas in Germaniā demū deflectens, Drauumq;
ſuperare adortus, rapidiſſimum amnem primus omniū
temere ingreſſus, fluminis impetu, & uiolentia uictus,
mortē occubuit. Tartari rege amiſſo eas repetunt terras,
quas bello ſuas fecerāt. in his poſtea gentibus Bathonis
filii late imperitarunt, Canguiſcam omnes ex ſucceſſione
principes, a primo rege appellati. & hæ ſunt memora-
biles illæ Tartarorum expeditiones, quorum plæriq;
noſtra memoria inter Boryſthenem, & Mœotidem cam

*Tartari quæ loca nunc incolūt et ſub quibus ducibus agunt.*

pos habitant inacceſſos, cū aqua, tum frugibus, tectiſq;,
ac omnibus neceſſariis carentes, pecore tantū abundant,
ſeptemq; agunt ſub principibus quos Cæſares appel-
lant. ex his unus lituanis, Ruteniſq; uicinior, ac nifeſtior,
Cæſar Caphenſis dicit̄, quod prope Caphā loca teneat,
eſt id caſtellum iuxta mare in Taurica Cherſoneſſo mu-
nitiſſimum, Theodoſia a ueteribus appellatum, ditionis
olim Genuenſium, nunc Turcarum. Mores autem, & ritus

gentis ſunt hi fere. Simpliciter Deum Opt. Max. colūt,
ad cuius prouidentiam omnia referunt, nec ieiunia ulla
habent, nec ſacrorū cerimonias, nulliſq; utūtur precibus,
cū quid a deo impetratū uolunt. Venerē quoquomodo
exercere, neq; probro, neq; uitio dāt, ex rapto plurimū
uiuunt. ſi hæc deſunt, uenatu, equino, bubuloq; lacte uicti
tant. ueſcuntur, & equina carne, ſed nec humana quidem
abſtinent. fallax ingeniū. uinū cupidiſſime potant, ſi fiat
copia, bibunt & humanum cruorem, pediculos eſitant.
arte magis q̄ uiribus pugnāt, gladio utūtur brachiali lon
gitudine, ab una parte faſtigiato, corio ſe tegunt, aut la/
minis ferreis. equites agiles, ſagittandiq; ſcientiſſimi, pe/
dites inutiles, & inſigni tarditate. Gens in præliis, & rebus
gerendis ſolers, ad omnia momenta rerum, imperiumq;
obeundū præſto, nec fuga apud eos turpis, ſi conducibi
lis ſit, aut neceſſaria. turmatim pugnā capeſſunt, turma/
tim fugiunt. Vulnifico ſagittarū ictu ſequentē hoſtem a
tergo conficiūt, inde prementiū paucitatē conſpicati ſu
bito in pugnā redeunt, ac tum maxime uincunt, cū uicti
creduntur, Aliena appetūt, negligūt ſua, ſub tentoriis in
aperto agitant, & multo libentius, quā in oppidis, aut ur/
bibus. a re bellica feriati, aut uenantur, aut ſe luctando
exercēt. Veritatis ſtudioſiſſimi, nihil tam ſceleſtū tamq;
capitale admittūt, quod expoſtulati non ſponte fateant.
hæc in literas miſiſſe nō fuit ab re alienū, ut gētis minus
alioquin notæ & origo, & uita ſit cognitu facilior. Vbi
uero tā multa fuerunt regna, cū quorū ſingulis Romana
reſp. multum, diuq; luctata eſt, tanta patet uaſtitas, &
ſolitudo, ut rebus quas illic geſtas legimus, fides omnis

*Tartarorum qui mores quæue ſit militia.*

*Prouinciarum Aſiæ quanta ſit uaſtitas, et ſolitudo.*

abrogetur, dũ quiſq; querit, quæ tam ualidæ in Aſia fuerint uires, quæ ſine Scipione Aphricano frangi, debilitariue nequierint, Quæ nã fuerint illæ in ponto. xxii. gentes, & nationes linguis, & moribus diuerſæ, quibus Mithridates ſine interprete reſpõſa dederit. Et ubi illud in codẽ Ponto robur, quod Romani deſperarint ab alio, quã Pompeio domari poſſe. In Troade uero deſiderantur illi Phryges.

*Põti ſolitudo.*

*De Troade, et eius prouincijs quæ iam ſunt deſolatæ.*

Quos neq; Tydides, nec Lariſſeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

Rariſſimiq; apparent Lycii, Paphlagones, Carii quorũ olim auxiliis.

Victoria Graium
Hæſit, & in decimum ueſtigia rettulit annum.

Cum per tã longe, lateq; patens terrarũ ſpaciũ tot gentibus, tot populis, tot regibus prius inclytũ, Turcarũ una ſit & lingua, & natio, & ea quidẽ modica, & infrequens, a tã exiguis, obſcuriſq; ꝑfecta originibus, ut de his adhuc ambigat̃. Nec eſt ab Aſiæ ſolitudine multo diſpar ſtatus regionũ, quas a Chriſtianis ademptas in Europa Turca poſſidet, ubiq; ingens deſolatio, & hominũ paucitas, rari omnino illic Græci, lõge rariores Bulgari, nec multo plures Boſnenſes, Seruii, Epirotæ. Macedonũ uero res quis nõ fabuloſas putet? cũ nullũ in Macedonia uideat illius quæ olim fertur, magnitudinis monimentũ. Nec in Thracia, ubi ob ferociã, & armorum uſum Mars olim natus credit̃, eamq; Euripides domiciliũ Martis appellat, ullũ nunc extat peritiæ militaris indiciũ. Quæ omnia ideo a me ſunt altius repetita, ut non ex ea, quæ olim fuit, ſed

*Quæ ſit in Europa ſolitudo in Turcarum prouincijs.*

*Macedonia.*

*Thracia.*

ex hac quæ nunc eſt rerum, atq; hominum, conditione ſciamus quantū timere Turcas oporteat. Eorumq; uires non ex uetere illa urbiū celebritate, populorūq; frequentia, ſed ex præſenti deſolatione, ac ſolitudine metiamur. Sed licet ſemper Aſiatici habiti fuerint molles, & eneruati, cum tamen eo res ſit adducta, ut ex noſtris diſſenſionibus, atq; inteſtinis odiis tam imbellis, & ignauus hoſtis, tantā Europæ deuaſtādæ occaſionem ſibi ſumpſerit, ut iam ab eo, nihil nobis ſit ſecurū, nihil tutum, nihil non formidoloſum, tempeſtiue languenti, & ſemianimi Chriſtianæ reip. prouidendum eſt, ne ſi ſecus factum fuerit, nihil nobis ſit integrum prouidere. nam ut in ægro, & ualde effœto corpore, quicquid negligitur, pro mora, mors eſt, ita huic malo niſi celerrime occurratur, fruſtra poſtea occurretur. Res omnis eſt in cardine, & ut periculum in negligentia maximum, & manifeſtiſſimum, ita totum rei gerendæ pondus, & omnis uictoria eſt in celeritate collocata. Vos igitur o Chriſtiani Principes reconciliatis uoluntatibus ad eam rem paribus uotis defendendam accurrite, in qua par eſſe debet apud omnes ſtudium, & cogitatio. Nulla impenſæ moles, nullum bellicæ fortunæ periculum, uos ab hoc opere auertat, in quo poſita eſt, & conſtituta religionis tutella, & Chriſtianæ reip. ſalus, cū incremento ueſtri nominis, gloriaq;, & acceſſione imperii, fortunarumq; ueſtrarum maxima. Si Camillus tot laudibus effert, quod uexilla olim a Gallis erepta in patriā retulerit, ſi Scipio Aphricanus, quod Annibalem ab Italiæ uaſtitate auerterit, ſi alter Aphricanus, quod duas ciuitates Romano impio inimiciſſimas,

*Tēpeſtiue chriſtianæ Reip. eſſe ſuccurrendum.*

*Exhortatur Chriſtianos ad hoc bellum ſuſcipiendum.*

Exempla.

Carthaginem, ac Numantiam deleuerit, ſi Marius, quod Cymbrorum furorem edomuerit, quo ardore, quo ſtudio uos poſtera omnis ætas celebrabit? qui puriſſima Ieſu chriſti delubra, qui aras, qui tépla Mahometica fœditate prohibueritis, quorũq; opera tota Chriſtiana reſp. ex flamma, ex ferro, ex mediis impiorũ faucibus fuerit erepta. Hæc uobis laus debebitur, quæ uigebit memoria ſæculorũ ſempiterna, quã poſteritas alet, quã æternitas omnis intuebitur. Ite igitur alacres, & in barbaram illam, ignobilem, abiectamq; nationem, uictrices copias conuertite. Tuq; in primis Magnanime Pont. inmenſæ, ac ſacroſanctæ amplitudinis tuæ æquales ſpiritus concipias, accingere armis iuſtitiæ, tegere pietatis clypeo, cape fortitudinis gladiũ, & ut cecinit Dauid, Cadant a latere tuo mille, & decem millia a dexteris tuis. Chriſtianam remp. quæ iam non labaſcit ſolum, ſed labitur potius, ac perit funditus, a tot ærumnis, calamitatibuſq; eripe. Nos diutius flagellari acerbiſſimis impiorum, amariſſimiſq; uerberibus non minus eſt perniciosũm, ac funeſtũ, q̃ indignum, & ignominioſum in primis. Dirumpamus tandem (ut idem hortatur Propheta) uincula eorum, & proiiciamus a nobis iugum ipſorum. Scis te non tibi ſoli natum eſſe, ſed multo magis immortali humani generis redemptori Chriſto Ieſu, qui per Hieremiã populo ſuo ita pollicetur. Conuertã luctũ eorũ in gaudiũ, & conſolabor eos, & lætificabo a dolore. Noli pati diutius ærumnoſam, afflictamq; ciuitaté noſtra uel diſſidia, uel diſſidio peſſundari. Vides omnes Italiæ principes, ac Reſp. tecũ cõſentire, uel oẽs potius tibi obſequi,

*Pontificem ad hãc expeditionem hortatur.*

& tua eſſe in poteſtate. Alii amicitia, alii ſocietate, alii clientelis ita uincti, ut nihil malint, q̄ȝ quod tibi gratum, iucundumqȝ fore aduertunt. Et ne ad tantam belli molem ſuſtinendam pecuniaria tibi ſubſidia deſint, Ampliſſimus pater Cardinalis Armellinus tui ærarii Cuſtos ſolertiſſimus, idemqȝ Quæſtor integerrimus eſt curaturus. Cuius conſilium in prouidendo, perſeuerantiam in agendo, celeritatem in perficiendo, quis ſatis dignis laudibus efferat? Hic iampridem totus ardet, & Charitatis facibus inflammatur ad Chriſtianā remp. tuendā propugnandamqȝ. Pro cuius amplitudine non modo uniuerſas opes, theſauroſqȝ æquo animo eſt erogaturus, ſed ſanguinem quoqȝ effundere, & extremum capitis diſcrimen adire non formidat. Plures quoqȝ alii ſanctitati tuæ ad id bellum proficiſcenti ſunt affuturi, eiuſdē laudis æmuli, ac ſectatores. Quorum præſidio munitus, ut uigilantiſſimus paſtor, qui (ſicut tradit Euangeliſta) dat animam ſuam, pro ouibus ſuis, beluas illas teterrimas tot annos Chriſtianorum, hoc eſt, tui gregis cruore, & cædibus depaſtas, totiqȝ Chriſtiano nomini, & præcipue ſedi tuæ ſanctiſſimæ rabidis faucibus inhiantes, baculo iſto diuinæ poteſtatis, uelut Herculea Claua abigas, & contundas. Nec ſis contentus numerum ouium, quaſi per manus tibi traditarum conſeruare, ſed reſtituti, atqȝ adeo aucti gregis decus, & gloriam tibi comparare, ut omne cœlum gaudio repleatur non una, atqȝ altera oue inuenta, ſed innumeris, & pene infinitis, quæ a recto dominici ouilis itinere, uel abductæ fuerant, uel aberrauerant. Hæ tuæ ſunt partes, tuum munus, tua induſtria

*Ampliſſ. Pater Card. Armellinus.*

*Quæ ſint ſummi Pont. partes et quid ab eo expectetur.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

amiſſas Vrbes ex Turcarum manibus eripere, barbaricũ Iugum a Chriſtianorum ceruicibus repellere, imminẽtia Sacroſanctæ Reip. pericula propulſare, Apoſtolicæ ſedis dignitatem tueri, Chriſtianos omnes iniuria, & maleficio prohibere. At uos cæteri Chriſtianæ pietatis aſſertores perſequamini (ut hortatur Apoſtolus) inimicos Crucis, quorum finis interitus eſt, induite perſonam publicam, exuite priuatam, & uno conſenſu deſcendite ad Remp. Chriſtianam capeſſendam, nec præter religionis pietatẽ aliud quicq̃ ſpectetis. Huc oculos, animos, huc cogitatus, ſtudiaq; omnia conuertite, Nolite pati tantam peſtem latius ſerpere, diutiuſq; inualeſcere. Tyrannum illum graui, eodemq; celerrimo ſupplicio multate, qui omnem Chriſtianorũ ſtatum non labefactare ſolum, ſed cæde, incendiiſq; uaſtare non deſinit. Proſternite, percutite, affligite, mactate teterrimam, & rabioſiſſimam iſtam Chriſtianum ſanguinem immodice ſitientẽ beſtiam. Si priſcis annalibus didicimus hos ſemper ſuccubuiſſe, qui fœdus rumpere, ius fœcialium uiolare, bellum contra fas, æquumq; indicere auſi ſint, quæ unq̃ certior fuit uictoria? qui exploratior belli euentus? nobiſcum eſt fides, cum illis perfidia, hinc pudor, illinc impudentia, hinc honeſtas, illinc turpitudo, hinc conſtãtia, illinc furor, deniq; hinc religio, pietas, uirtus, illinc ſuperſtitio, impietas, uitiũ decertabunt. Hoc milite Chriſtianam remp. qua pene interierat, uitali aura fouete, hoc eam in priſtinam libertatem, dignitatemq; uendicate. Incipiant ueſtro ductu, & pulcherrimis rebus geſtis ſpes Chriſtianæ uictoriæ floreſcere, & exoptati, concupitiq;

*Cæteros Chriſtianos principes ad hoc bellum inſtãnat.*

*In bello, pro parte iuſtiore ſtare uictoriã.*

triumphi per omnium uirtutum genera ueluti repubeſcere. Quæ ſpolia tam opima? quæ ouatio? qui arcus? quæ ſplendidiora trophæa? q̄ꝫ innocuam, & ſanctiſſimā Hieroſolymam iacentem erigere, ruentem ſuſtinere, afflictam recreare, & in priſtinam poſſeſſionem ueteris dignitatis, & imperii reſtituere? Hoc illud eſt certamē, de quo ſcribit Paulus. Qui legitime certauerit coronabitur. Eia agite huic expeditioni tam neceſſariæ, tamqꝫ glorioſæ pro ueſtra & pietate, & amplitudine mētem, animumqꝫ intendite, & uel ultionis in Turcas, uel grati animi erga deum ratione ducti, enſem illum, quem diu, multumqꝫ in mutuas clades diſtrinxiſtis, in ſceleratiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes acuatis, & cruentetis. Sic breui per illuſtres uictorias, & pulcherrima trophæa Chriſtiana reſp. amplificata, uos aſſidue ſplendidiores reddet. Nec ſolū Europæ legem imponetis, ſed & Libyæ, Scythiæ latiſſima regna & Perſidis flumina, & Nili hoſtia ueſtræ ditioni parebunt. Ac demum, quod uaticinatur Euangeliſta. Videbit omnis caro ſalutare Dei, nec modo tot populi ex tam diuturna ſeruitute recepti, ſed Deus etiam ipſe ueſtra conſtantia, pietateqꝫ delectatus, uos & uiuos ſpecioſiſſimis triumphis, & mortuos æterna beatitudine decorabit.

*Epilogus ad omnes Chriſtianos principes.*

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

# HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS AD ILLVSTRISSIMVM Comitem Gabrielem Salamancham Supremum Sereniſſimi Principis Ferdinandi Cancellarium. EPISTOLA.

MIhi animo uoluenti, cuinam potiſſimum li/bellum de Rebus Turcicis a me nuper con/fectum dedicarem, nemo hac lucubratione uiſus eſt dignior Ferdinando Principe omnium, quos noſtra tulit ætas, & optimo, & clariſſimo, in quo ſplen/didiſſime reluceſcunt ea cuncta ornamenta, quæ in ſubli mem & magnanimum Heroem poſſunt cadere. Quid enim memorem, q̄ꝫ in aggrediendis rebus ſit prudens? in ſuſtinendis perſeuerans? in perficiẽdis accuratus? quid ue referam excellens, ac prope diuinum eius ingenium? quod nunq̄ꝫ potuit aut rerũ magnitudine ſuperari, aut uarietate confundi, aut multitudine obrui. ſed licet in eo ſumma ſint omnia, duo tamen præcipue admirationi habẽtur, alterum quod nouã illam Hæreſim, quæ indies, magis, magiſqꝫ inualeſcebat, mirum in modũ coercuit, alterum quod impetum Turcarũ quo minus in intima Germaniæ uiſcera penetrarent, magna ſua cũ laude, glo/riaqꝫ compeſcuit. ob utrunqꝫ uero tibi uir Clariſſime proxima laus debetur, qui & ad bellum contra ſæuiſſi/mos Turcas ſuſcipiendum, & ad Chriſtianam pietatem aduerſus tot errorũ monſtra propugnandã, Ferdinandũ hortari, ſtimulare, accẽdere nunq̄ꝫ ceſſas. Felix ille quidẽ te huiuſcemodi conſiliario, & moderatore, tu quoqꝫ

felix,ad quem tantus Princeps ita omnia defert,ut nihil
decernat niſi te conſulente, nihil aggrediatur niſi te ap/
probante, eoq; loco habet, quo Neſtor olim ab Aga/
memnone habitus eſt. Id uero utriq; ueſtrum apprime
glorioſum duco,quod enim maius tuæ uirtutis teſtimo
nium eſſe poteſt? q̃ apud tam generoſum Principem,
tantum æſtimationis, atq; authoritatis tibi comparaſſe?
at illi quid honeſtius?quidue honorificentius?q̃ quod
prudẽtiſſimis,atq; optimis uiris,et in maximarũ rerũ ad/
miniſtratione uerſatis mirifice delectetur, ex quorũ aſſi/
dua conſuetudine non ſolũ id acquirat,ut peritior fiat,
ſed etiam ut melior. Alii fortunæ beneficio elati rerum
licentia immodice exultant,hic uero ſapientum præce/
ptis,et admonitionibus continetur. præclarum id quidẽ,
et in tam iuuenilibus annis uix auditũ, ut duo illa,ætas,
et potentia,quæ natura effrenatiora ſunt, non ſolũ frena
patiantur,uerumetiam depoſcant. Supereſt igitur Deum
Opt. Maximũq; precari, ut inclyto Ferdinando ſe ad
tam ſanctam,tamq; glorioſam expeditionẽ contra Tur/
cas accingenti, inſignem palmam, & de illa immaniſſi/
ma,atq; impuriſſima natione ſacroſanctũ triumphũ lar/
giatur. Tu uero uir Ampliſſime,perge quo cœpiſti gra/
du, & cunctis uiribus enitere, ut illũ,ad hoc præclariſſi/
mum facinus obeundum,ſatis accenſum ardentius in/
flammes, ad metamq; (ut aiunt) celeri curſu tendentem,
uoce, & clamore iuues, unde non ſolum tibi immorta/
lem laudem,& gloriam noſtra memoria comparabis,ſed
etiam nomen tuum omnis uentura poſteritas mirificis
laudibus eſt celebratura. Vale.

R O M A E

A P V D F. M I N I T I V M

C A L V V M A N N O

A P A R T V V I R G I N I S

M. D. X X V I.

Cum gratia & priuilegio. S.D.N.
Clementis. VII. Pont. Max.
ad decennium.

BIBLIOTECA NAZ. RE. VITTORIO EMANUELE